W. CALAND,

DE NUMMIS.

C. C. von Dasse

CE 143

LOT
Nº 61

THE 2016
NEW YORK
BOOK AUCTION

Sale 141

Kolbe & Fanning
Numismatic Booksellers
numislit.com

The Waldorf Astoria Hotel
New York City

Closing Date:
January 9, 2016

141 W. Johnstown Road
Gahanna, OH 43230-2700
Tel: [614] 414-0855
Fax: [614] 414-0860
email: df@numislit.com

LOT
№ 61

THE 2016 NEW YORK BOOK AUCTION

Sale 141

Kolbe & Fanning
Numismatic Booksellers
numislit.com

The Waldorf Astoria Hotel
New York City

Closing Date:
January 9, 2016

141 W. Johnstown Road
Gahanna, OH 43230-2700
Tel: [614] 414-0855
Fax: [614] 414-0860
email: df@numislit.com

DE NUMMIS M. ANTONII IIIVIRI

VITAM ET RES GESTAS ILLUSTRANTIBUS

COMMENTATIO.

DE NUMMIS M. ANTONII IIIVIRI

VITAM ET RES GESTAS ILLUSTRANTIBUS

COMMENTATIO.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. VAN GEER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT. ET IN FACULTATE MATH. PHYS. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

GUILIELMUS CALAND,

BRIELLENSIS,

DIE XIII M. IUNII A. MDCCCLXXXIII, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD E. J. BRILL.

MDCCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHEO E. J. BRILL.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

Occasionem, quam prodeunte hoc libello pulcherrimam nanctus sum, libenter arripio ut grati animi palam proferam testimonium erga Viros Clarissimos Cobet, Kern, Cornelissen, quibus praeceptoribus me usum esse semper gloriabor, et erga Virum Doctissimum et Nobilissimum J. P. Six, qui non solum librorum et nummorum suorum, quotiescunque volebam, mihi copiam fecit, sed etiam summa benevolentia et officio singulari mihi praesto fuit.

DE NUMMIS M. ANTONII III VIRI VITAM ET RES GESTAS ILLUSTRANTIBUS COMMENTATIO.

Ei, qui in M. Antonii IIIviri nummos est inquisiturus, nihil antiquius habendum est, quam ut aut ipse constituat, quibus annis M. Antonius imperatorii nominis honore ornatus sit, aut in suam rem convertat, quae ante eum a viris doctis hac de re disputata sunt. Omnia enim testimonia seu lapidibus insculpta seu metallis impressa inutilia sunt et inania, nisi suum quodque locum in historia obtinet. In Antonii autem nummis ordinandis nihil effici posse ab eo, qui et vim imperatorii tituli ignorat, et, antequam opus aggrediatur, tempora quibus eo titulo usus est, non constituta habet, iam cuivis patebit, qui vel strictim seriem nummorum a IIIviro eoque auctore cusorum attigerit. Cum enim omnes fere nummi imperatoris,

imp. II, imp. III, imp. IIII titulos impressos ostendant, maximi momenti est cognovisse quando M. Antonius unamquamque harum appellationum assumpserit. Ac ne quis miretur me etiam post Borghesium hanc rei nummariae partem retractandam mihi sumpsisse; parum enim ille intellexisse vim imperatoriae appellationis falsaque via progressus quaedam haud recte constituisse mihi videtur. Cum autem vidissem viros doctrinae praestantia insignes opinionem a Borghesio prolatam tamquam veram amplexos esse, de his rebus quaedam conscribere decrevi: ad quam rem imprimis ratio me deduxit quod singuli nummi in catalogis Cohenianis absurdissimis additamentis ornati sunt.

Praemittenda igitur est brevis descriptio appellationis imperatoriae, cuius vi recte definita nescio an sententiam meam comprobaturus sim. Quare viam et rationem totius indagationis in conspectu ponam.

Quicunque dux suis auspiciis rem bene gessit a militibus [1])

1) A senatu imperatorem aliquem nominari non veri simile est, neque huc spectare videtur Ciceronis locus: (Phil. XIV, 4) „Sed hoc primum faciam ut imperatores appellem eos, quorum" cet. i. e.: duces ab exercitu jam imperatores salutati sunt, nos eum titulum in S. C. omittendo irritum faciemus? (cf. Lange Röm. Alt. III² p. 535) Dio (XLVI, 38) quoque ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν καὶ ὑπὸ τῆς βουλῆς iungit, sed loco Ci-

suis imperator [1]) salutari potest, quo nomine accepto iustam habet causam, cur ad senatum litteras laureatas mittat. His acceptis a senatu supplicationes atque ipsi imperatori praesenti [2]) triumphus decerni potest. Ad rem illustrandam Ciceronis exemplum affero, qui, cum pro consule Ciliciae praeesset, propter victoriam apud Amanum montem reportatam imperator salutatus est (mense Oct. 51 a. c. n.). Qua inani, ut ipse dicit [3]), appellatione honoratus spe supplicationum et triumphi suscepta illas [4]) accepit, triumphi autem honorem non adeptus est. Postquam enim medio anno 50 quaestore provinciae praeposito decessit, prid. Non. Ian. ad urbem accedens in ipsam incidit flammam civilis discordiae inter Caesarem et Pompeium [5]); ad urbem mansit, quia urbe intrata imperium proconsulare amissurus erat. Initio anni quo decretum fuit »ut ante certum diem exercitum dimitteret Caesar; si non faceret, eum adversus remp. facturum videri",

ceronis male intellecto ita scripsisse videtur. Affirmo igitur duces ab exercitu imperatores salutari, eum autem titulum a senatu ratum fieri solere, cum eorum nominibus in S. C. scribendo publice adderetur: „imp." —

1) Vix opus est ut moneam imperatorium nomen hic eo sensu speciali poni, de quo App. B. C. II, 44, cum omnes, qui cum imperio sunt, imperatores appellari possunt sensu generali.

2) Praesenti triumphus decernebatur: Cic. Phil. XIII, 4, 9.

3) Ad Att. V. 20, 4.

4) Ad Fam. XIV. 5, 2.

5) Ad Fam. XVI. 11, 2.

Senatus coss. praett. tribb. pl. iisque, qui proconsules ad urbem erant, negotium dedit, ut curarent ne quid detrimenti resp. caperet [1]). In quo numero Cicero fuit [2]), et duobus locis, quos infra memoravi, comparatis luculentissime patebit imperatorem esse simul proconsulem. Cum igitur Cicero e sua provincia decederet, imperium non deposuit, sed ad id tempus retinuit, quo urbem ingressus est, quippe intra quam finis esset imperio militari. Sed videamus quamdiu id imperium et simul nomen imperatoris obtinuerit. Imperatorium nomen cum suo nomine eo tempore iungebat testibus multis epistulis [3]). Et quamquam ex tempore post a. d. XV. Kal. Mai. anni 49 nulla exstat epistula, cui superscriptum est: »Cicero imp.", tamen facile demonstratu est Ciceronem tum et imperatorem et proconsulem fuisse. Post pugnam Pharsalicam Ciceroni cum reliquiis partium optimatium Dyr-

---

1) Caes. B. C. I, 5.

2) Cic. ad Fam. XVI. 11, 3: „et nobis, qui pro coss. sumus"; pro Reg. Deiot. IV, 11: „nobis imperatoribus". Adde ad Att. VII, 7. 4. „audio constitutum esse Pompeio ... in Ciciliam me mittere, *quod imperium habeam* ... Itaque si hoc imperium mihi molestum erit, utar ea porta, quam primum videro". Cicero ad urbem moratur spe triumphi, sed si imperium ei molestum futurum erit, spe triumphi remissa urbem intrabit.

3) ad Att. VIII, 11. A, B, C, D; IX, 14 A; ad Fam. II, 16; ad Att. IX, 15. B. quae omnes sunt ex quattuor prioribus huius anni mensibus.

rachii remoranti a Catone imperium oblatum est, ut proconsulari imperio nondum destituto [1]). Sed Cicero victoria Caesaris bellum sibi finitum esse constituit [2]) et Brundusium reversus, postquam diu suspenso animo quid Caesar de se sentiret, expectavisset, tandem litteras satis liberales ab eo accepit (mense Sextili 47). His litteris Caesar trepidantem erexit et hortatus est, ut »esset qui fuisset" [3]). Ceterum Ciceronem his litteris a Caesare imperatorem appellatum fuisse et ab eo sibi concessos fasces laureatos tenuisse, quoad tenendos putaret, ex eius oratione pro Ligario [4]) apparet. Ergo ad id tempus erat proc. et imp., quos titulos a Cicerone urbe intrata paulo, ut videtur, post depositos esse, ex eius litteris ad Matium comperimus [5]).

Ex Ciceronis autem exemplo haec potissimum colliguntur:

I. Stante republica nemo imperator est, quin simul imperium proconsulare obtineat. Quamobrem tituli [6]) M. Antonii et M. Lepidi »cos imp." proprie vereque non legitimi sunt [7]) et, ut opinor, eodem

---

1) Plut. Cic. 39. 2) Fam. VII, 3. 3. 3) Fam. XIV. 23.
4) III. 7. 5) Fam. XI. 27. 5.
6) qui inveniuntur in denariis apud Coh. Méd. cons. tab. IV, 14. 15. depinctis.
7) de alia huius rei explicatione vide diss. pag. 27 sqq.

modo adhibiti, quo L. Planci, qui appellatur: L · MVNAT · L · F · L · N · L · PRON · PLANCVS · COS · CENS · IMP · ITER · VII · VIR · EPVL · TRIVMPH · EX · RAETIS · AEDEM · SATVRNI · FECIT · DE · MANVBIIS · AGROS · DIVISIT · IN · ITALIA · BENEVENTI · IN · GALLIA · COLONIAS . DEDVXIT · LVGDVNVM · ET · RAVRICAM [1]). Hic titulus probabili ratione adsignatur anno 17 a. c. n., in quo vocem consulis hac significatione positam videmus, ut vim habeat: qui quondam consulatu functus est. Titulus cos. III. imp. IIII. similesque a M. Antonio assumpti sunt prisco more neglecto suoque arbitrio pro reipublicae ratione interposito.

II. Imperatoria appellatio eo die incipiens, quo a militibus exercitus duci data est, ad eum diem pertinebat, quo ab imperatore triumphus agebatur. Quod etiam duobus aliis exemplis illustrabitur. Lepidi enim nomini in capite epistulae ad Ciceronem [2]) datae (a. d. III. Kal. Iun. 43) adduntur tituli pont. max. imp. iter; idem iterum triumphavit prid. Kal. Ian. 43. (= 31° die m. Dec. 43). Demonstrare supervacuum videtur Lepidum consulatu inito Kal. Ian. 42 nomen imperatoris deposuisse, qui numquam imp. III. vir appelletur. Eodem modo L. Munatius Plancus imperator fuit [3])

---

1) Orelli n°. 590. Eiusdemmodi inscriptio servatur C. I. L. 3417: „Ap. Claudio Pulchro cos. imp. herculanenses post mort".

2) ad Fam. X. 35.

3) tituli exstant in libri X epist. 8, 24 ad fam.

a. d. V. Kal. Sext. 43, triumphavit a. d. IIII. Kal. Ian. 43, (i. e. die 29^0 mens. Dec. 43) et cum postea in nummo a se cuso proconsulem tantum se appellet, idem titulum imperatoris post actum triumphum deposuit [1]). — Sin triumphus non agebatur, imperatoris nomen dux tamdiu obtinebat, quamdiu cum imperio proconsulari erat, quo remisso etiam huius tituli ius deponebatur. Inde sequitur imperatores non tantum eos fuisse, qui postea iustum agerent triumphum, sed etiam permultos alios, qui eum honorem assequi non possent. Nihil ergo novi aut inauditi est, quod [2]) »imperatoria appellatio etiam sine triumpho saepe data est". Immo haec ratio falsa est, cum aliud triumphus, aliud imperatoris titulus sit; titulus ab exercitu solum dabatur, triumphus vero cum illa appellatione tantum coniunctus erat, quatenus ius triumphi petendi dabat. Ita Plancus *post* primum triumphum imperator iterum salutatus est, et tamen non bis triumphavit.

---

1) Simul patet quam immerito Bürcklein (Chronologie der Parth. Feldzüge p. 57) Borghesii demonstrationem pro vera accipere dubitaverit, qua ille docuit (Opere II p. 83) denarium Planci proc. cusum esse ante denarium Planci imp. iter. Planco enim post triumphum imperatoris (I) titulus deponendus erat, et consulatu functo in Asiam misso procos. tantum non imp. procos. titulus fuit.

2) Mommsen Röm. Staatsr. I² p. 123.

Antequam de M. Antonio imperatore agere aggredimur, paucis admonebimus salutationem duci tum demum contigisse, cum hostes reipublicae victi essent [1]); quin etiam numerus hostium, quibus caesis opus erat, postea constitutus est: quinque milibus opus fuisse Valerius Maximus testatur [2]). Itaque C. Antonius reprehensus est, quod minus quam iusto hostium numero occiso imperatoris titulum accepisset [3]). Ultimis vero liberae reipublicae temporibus numero magno non semper opus fuisse ex Appiani testimonio [4]) apparet, qui tradit Curionem aliquot Numidarum equitibus fugatis imperatorem esse salutatum. Quod autem diximus hostes reipublicae occisos tantum iustam triumphi causam fuisse, hanc sententiam non redarguit Dionis locus [5]): *Καῖσαρ αὐτοκράτωρ καὶ ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ὠνομάσθη*, quoniam Caesar bello Mutinensi Antonium, hostem reipublicae, profligaverat. Contra neque Antonius neque Caesar proelio apud Philippos imperator salutatus est, quia uterque cives occiderat [6]).

---

1) Val. Max. II, 8 § 7. 2) ibid. II, 8 § 1. 3) Dio 37, 40.

4) B. C. II, 44. Ceterum Appianus numerum prodit *μυρίων*, qui ex sui temporis ratione datus esse videtur. cf. Mommsen, R. Staatsr. I² p. 122 a. 3.

5) 46, 38.

6) Ita neque Caesar imp. consalutatus est post pugnam Pharsalicam teste Cicerone (Phil. XIIII. § 23).

His praemissis iam in ipsius Antonii salutationes imperatorias inquiramus et primum quidem dicamus

DE M. ANTONIO IMP. (I).

Ad primam M. Antonii salutationem imperatoriam suae sedi adsignandam duo loci laudari solent, quorum unus tantum ad nostram rem facit. Namque Appiani locum, ubi tradit Antonium *στρατηγὸν αὐτοκράτορα* creatum esse [1]), nihil lucis nobis afferre, luculentissime docuit Drumannus [2]). Titulus autem *αὐτοκράτωρ* hoc loco eodem sensu adhibetur, quo ab auctore nostro etiam L. Antonio consuli tribuitur [3]), i. e. secundum ipsam verbi vim eum designans, ad quem a populo imperium delatum est. Praeterea, ut iam nihil dicam de honore militari a populo decreto, nonne est quod miremur *consulem* L. Antonium imperatorem salutatum esse? [4]) Immo *αὐτοκράτωρ ὑπὸ τοῦ δήμου προσαγορευθεὶς* h. l. nihil aliud significat, quam imperium ei a populo esse delatum ut senatusconsultum, quo IIIviri hostes reip. iudicati erant, exsequeretur. Itaque unus tantum locus superest, qui aliquantulum lucis in tenebris affert. In Oratione

---

1) B. C. III, 25. 2) Gesch. Roms. I, p. 161.
3) B. C. V, 31.
4) id quod credidit Lange Röm. Alterth. III² p. 567.

Philippica [1]), scripta a. d. XIII Kal. Apr. 43, Cicero titulum, de quo agimus, ab Antonio arreptum esse demonstrat, cum alienum hoc ei nomen fuisse indignanter exclamat. Cum autem ex titulo Antonii, qui positus est in capite epistulae a Bruto et Cassio praett. ad eum datae, pateat imperatorem nondum fuisse ante prid. Non. Sext. 44, id tantum pro certo affirmari potest Antonium imp. (I) salutatum esse post prid. Non. Sext. 44, ante a. d. XIII. Kal. April. 43. Causa ea ipsa videtur, quod Antonius occisis civibus Romanis in oppugnatione Mutinae propter talem victoriam contra priscum morem imperatoris acclamationem acceperit.

M. ANTONIUS IMPERATOR ITERUM.

M. Antonio quattuor omnino salutationes imperatoriae oblatae sunt, quarum tribus posterioribus annos 39 usque ad 31 adsignandos esse probare posse mihi videor. Post pacem apud Misenum cum Sex. Pompeio compositam [2]) principes civitatis consules ita designaverunt in annos 34—31, ut M. Antonio consu-

1) XIII, 10. 2) Mommsen Röm. Staatsr. I² p. 567, a. 3.

latus annorum 34, 31, Caesari annorum 33, 31 seponerentur. Erat ergo Antonius cos. des. II et III inde ab anno 39 usque ad 34, cos. des. III post annum 34 usque ad 31. Cum autem titulus consulis des. II et III cum appellatione imperatoris (I) coniunctus occurrat, qui saepe M. Antonii nomini adhaeret, simul liquet imperatoriam appellationem a III viro iteratam non esse ante annum 39. Quodsi porro hoc argumento, quod nonnulli parvi momenti habent, parumper seposito ante annum 39 nihil factum esse demonstravero, quod M. Antonio tituli imperatoris accipiendi causa fuerit, multa vero post hunc annum accidisse, quae imp. II nomen ei parere potuerint, victurum me video. Duae autem res, quae doceant Antonium ante annum 39 imperatorem II appellatum esse, afferri possunt: victoria Philippensis et ovatio post pacem Brundusinam Antonio et Caesari decreta. Bello autem Philippensi, cum civibus Romanis gesto, Antonius imp. II non factus est, quod manifesto ostendunt nummi cusi anno 41, qui eum imp. (I) tantum, non imp. II appellant. Videamus iam de ovatione cui Borghesius [1]) tantum tribuit ut propter eam III viris imperatoris titulos auctos esse probare stude-

1) Borghesi Opere II p. 44 sqq.

ret. In dubium vocari non potest, quin Antonius et Caesar ovantes urbem introierint, sed propter hanc ovationem eos imperatores salutatos esse, vel post id ipsum nomen acceptum ovationem habuisse, id quidem factum esse nullo modo persuaderi mihi poterit. Etenim cum nisi propter res militiae gestas duces exercitus ea appellatione numquam ornati sint (et toto coelo distat pax a IIIviris facta), tum nomen imperatoris triumpho acto deponitur. Qua de causa contra omnem rationem facies, si hanc salutationem ex ipsa ovatione emanare credideris. Id igitur rationi Borghesianae obstat, quod etiamsi Antonii salutationem imperatoriam anno 40 iteratam esse daremus, id saltem concedendum erat, Antonium imp. II fuisse inde a foedere icto usque ad ovationem habitam eumque igitur per aliquot anni 40 menses hoc titulo usum esse. Luce autem clarius fit, quam improbabilem Borghesius rationem inierit, quippe quam ipsi nummi damnent titulos exhibentes, qui nullo modo inter se consentiunt: alter (imp. II) enim anno 40 finem caperet, cum alter (cos. des. II) anno 39 incipiat.

Hic fortasse aliquis mihi obiciet a IIIviris prisco more prorsus neglecto etiam ovatione habita titulum imperatoris II retineri potuisse. De titulo imperatoris primo accepto, cui IIIviris, ut videtur, simul et sig-

nificatio imperii oblati et mentio victoriae partae inerant, illud quidem verum est (nam Antonii denarii occurrunt ex anno 41, qui primae salutationis mentionem faciunt, quamquam urbe intrata titulus imp. deponendus fuerat). Caesar enim suo iure heres titulum vel potius cognomen imperatoris adsumpsit, Antonius vero cum peculiari modo in nummis ubi »Caesar imp." ab una parte designatur, item ipse »Antonius imp." tantum appelletur, hac re a Caesare superari noluisse videtur. Atqui cognomen imperatoris iterari non potuisse ipsa res declarat [1]). Inde igitur, quod Antonius plus semel imperator factus est, sequi videtur titulum eodem, quo a Caesare sensu ab eo usurpari desitum esse, cum salutationem iteraret. Qua de causa veri simile est, si imperator salutatus ovationem egisset, Antonio urbem ingresso secundum morem priscum imperatoris titulum omnino deponendum fuisse.

Quod autem Borghesius ex Caesaris victoriis argumentum ducit, quo probare conatur huic ovationi unam de Augusti XXI salutationibus imperatoriis de-

---

1) nisi quis ut Caesar divi f. praenominis loco usus, titulum „imp." cum iterationis numero post nomen gentile addit, ut e. g. in nummo delineato apud Coh. Méd. Imp. I² n°. 226 IMP · CAESAR · DIVI · F · AVGVSTVS · IMP · XX · cet. cf. Dio 43. 44. Mommsen R. S. R. II² p. 743.

beri, quia aliter ratio eius acclamationum non constet, ei quidem non multum tribuendum est. Omnia enim de Caesare imp. ante sextam appellationem vaga et incerta sunt, quare id tantum dixisse satis erit, et Caesarem et Antonium eam ovationem quidem habuisse, sed hac ipsa re non demonstrari propter vel post hanc ovationem eos imperatores esse salutatos. Nam Caesaris appellationes hoc modo ordinari possunt: imp. I de bello Mutinensi anno 43 [1]); imp. II ex bello Perusino anno 41 [2]); imp. III propter victoriam a C. Carrinate e Gallia reportatam [3]) anno 39 [4]); imp. IIII ex bello Siculo anno 36 [5]); imp. V. propter Delmatas victos [6]); imp. VI de bello Actiaco [7]).

Si igitur nec victoria Philippensis nec pax Brundusina Antonio alteram salutationem attulit, quae tandem illius causa fuerit iam quaeramus.

Duae victoriae a scriptoribus celebrantur auspiciis Antonii a P. Ventidio Basso reportatae, quae IIIviri

---

1) Dio Cass. 46, 38. 2) id. 48, 16. 3) id. 51, 21.

4) Mire cum hac ratione congruit, Borghesii rationi adversatur denarius, cui inscriptum IMP · DIVI · IVLI · F · TER · III · VIR · R · P · C · ℞ M · AGRIPPA · COS · DESIG ·, cusus anno 38. Nuper Mommsen (Staatsrecht II². p. 744. a. 2) demonstravit haec verba ita iungenda esse: imp. ter., et referenda tam ad praenomen imperatoris quam ad tertiam acclamationem.

5) Dio. 49.15. 6) App. Ill. 28. 7) Oros. VI. 19.

salutationibus lucem afferunt. Ventidius enim post pacem Brundusinam [1]) (anno 40) in Orientem missus est, qui proconsulari imperio functus Parthos et T. Labienum debellaret. Parthos proelio vicit Labieno occiso. Haec autem victoria Ventidio, ut alienis auspiciis rem gerenti, nihil, Antonio supplicationes et laudes attulit [2]). Anno post (38) a. d. v. Id. Iun. altera victoriae palma a Ventidio de Parthis reportata est [3]), cum eos, Syriae bellum inferentes, reppulit regemque eorum Pacorum interfecit. Sed postquam etiam Antiochum, Commagenae regem, Samosatae moenibus inclusum oppugnare coepisset, necopinato Antonius advenit, qui invidia erga suum *ὑποστράτηγον* flagrans, per obsidionem Samosatae munus ei abrogavit. Haec prima de Parthis relata victoria tanti pretii Romanis visa est, ut non solum Antonio, cuius auspiciis illud bellum gestum fuerat, sed Ventidio etiam supplicationes et triumphum decernerent. Constat igitur Antonium propter hanc suis auspiciis partam victoriam imperatoris titulum sibi adscivisse; sed non veri simile est eum laudes Ventidii, aemuli sui, omnibus modis

---

1) auctore Appiano (V, 65); auctoribus vero Plutarcho et Dione post pacem Misenensem; de hac re controversa vide Bürcklein (Chronologie etc. p. 51).

2) Dio Cass. 48, 41. 3) id. 49, 21.

celebravisse. Itaque, cum in plerisque ab Antonio imp. III signatis nummis emblemata victoriae Asiaticae conspiciantur, *tertia* acclamatio ab his Ventidii rebus prospere gestis aliena est. Contra ad primam Ventidii victoriam (anni 39) nullam de Antonii salutationibus pertinere patebit, si ad locum Dionis huc spectantem attenderimus; quem [1]) totum sub oculis ponam: *ἐνταῦθα δὲ ἤδη αὐτῷ ὄντι ὁ Ἀντώνιος ἐξαίφνης ἐπιστὰς οὐ μόνον οὐχ ἥσθη ἀλλὰ καὶ ἐφθόνησεν, ὅτι ἔδοξέ τι καθ' ἑαυτὸν ἠνδραγαθῆσθαι· καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῆς ἀρχῆς αὐτὸν ἔπαυσε, καὶ ἐς οὐδὲν ἔτι οὔτ' αὐτίκα οὔθ' ὕστερον αὐτῷ ἐχρήσατο, καίτοι καὶ ἱερομηνίας ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς ἔργοις καὶ ἐπινίκια δι' αὐτὸν λαβών. Οἵ γε μὴν ἐν τῷ ἄστει Ῥωμαῖοι ἐψηφίσαντο μὲν ταῦτα τῷ Ἀντωνίῳ* (sc. *τὰ ἐπινίκια*) *πρός τε τὸ προῦχον αὐτοῦ καὶ ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ἡ στρατηγία ἐκείνου ἦν, ἐψηφίσαντο δὲ καὶ τῷ Οὐεντιδίῳ.*

His verbis Dio nos certiores facit propter utramque victoriam Antonio supplicationes, propter unam tantum (ultimam, ut ex locis supra laudatis apparet) triumphum decretum esse. Sin autem verum esset quod Borghesius scribit, qui Antonium tertio imperatorem salutatum esse vult propter Ventidii *primam*

---

1) Dio Cass. 49. 21.

victoriam loco supra descripto satis pro suo arbitratu neglecto, supplicationibus optimo iure salutationem imperatoriam adiungi solitam esse, res posceret ut tam propter primam quam propter alteram victoriam Antonius suo nomini titulum imperatoris adderet (quam cum rationem Borghesius non inierit, sibi constare non videtur). Sed ex ipsis nummis demonstratur Antonium, cui bis intra biennii spatium supplicationes decretae sunt, semel imperatorem esse salutatum. Quid? nonne omnium facillimum probatu est imperatorio nomine accepto non semper supplicationes quoque fieri solitas fuisse, cum ex monumento Ancyrano [1]) pateat Augusto quinquagiens (vel quadragiens) et quinquiens supplicationes esse decretas, licet semel tantum et viciens imperatorio honore auctus sit [2]). Ceterum hac quoque de causa Antonium nomen imperatoris post primam Ventidii victoriam non accepisse veri simile est, quod, si res sese ita haberet, iam tertia appellatio ad alteram Ventidii victoriam referenda erat, quod quam a vero abhorreat supra demonstratum est. Ex his omnibus efficitur Antonium imp. II esse factum propter secundam [3]) Ventidii Parthicam victori-

1) Res gestae Divi Augusti ed. Mommsen p. XXXII vers. 25, 26. cf. Comment. p. 11.

2) Tacit. Ann. I, 9. 3) cf. etiam dissert. pag. 65.

am, quae accidit aestate anni 38 et causam tituli imperatoris tertio adsumpti ab annis 37, 36, 35 petendam esse.

M. ANTONIUS IMPERATOR III.

His vero annis quam rem M. Antonius praeclare gessit, ob quam militibus imperatorio honore dignus videretur? Nihil, inquies, immo multa adversa et damnosa expertus est. Ita, sed tamen imperator salutatus est propter res a se ipso, non propter alienas res, suis auspiciis gestas.

Postquam enim Antonius diu mente volvisset bellum Parthicum, cuius confectionem quasi victoriae palmam sibi reservatam putabat, tandem anno 38 ipse bellum orientale gerendum suscepit ignominiose submoto P. Ventidio, cuius prosperae fortunae quam maxime invideret. Bellum autem Parthicum exeunte vere anni 36 gerere coepit, quod incruentam et impulveream victoriam sibi pariturum esse sperabat; sed aliter dis visum erat. Namque Euphraten exercitu transmisso et Oppio Statiano praefecto propter magnum impedimentorum numerum relicto, ubi caput Mediae Atropatenae oppugnare coepit, subito nuntius allatus est

exercitum Oppii ad unum fere hominem caesum fusumque esse [1]). Qua re cognita Antonius statim succurrit, sed omnes Oppii copiae prope ad internecionem redactae erant; neque hostes in proximo erant. Paulo tamen post numerum non magnum eorum obviam euntem in fugam convertit. Hanc vilem victoriam series calamitatum excepit. Partim ab hostibus partim frigore inedia itineribus ita vexabantur et conficiebantur, ut huius itineris descriptionem legens alteram ἀνάβασιν ante oculos tibi obversari putes. Tandem per Mediam ad Araxen flumen, miseriarum terminum, perventum est et inde armis Romanis hac ignobili clade affectis magna parte exercitus amissa sospes ipse Antonius Syriae fines ingressus est. Nihilominus »hanc suam fugam, quia vivus exierat, victoriam vocabat," ita Velleius [2]). Idem Florus [3]) testatur his verbis: »Antonius in Syriam fugit. Ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est, quasi vicisset, qui evaserat". Servius [4]) quoque Antonium victorem Parthorum appellat. Dione

---

1) Mommsen (Res. G. Divi Aug. p. 86) contendit signa legionaria ab Antonio, ut ferebatur, amissa hac clade Oppio a Parthis erepta fuisse. Quod si verum est, haec Antonii clades multo minus ignominiosa fuit, quam postea omnibus visa est. Ceterum res Antonii omnino a scriptoribus in deterius fictae esse videntur.

2) Vell. II. 82. 3) IIII, 10. 4) ad Aeneid. VIII, 686.

denique Cassio [1]) auctore *οὐ τἀληθὲς ἐκεῖνος ἐπέστειλε τοῖς Ῥωμαίοις· πάντα γὰρ δὴ τὰ δυσχερῆ συνέκρυπτε, καὶ ἔστιν ἅ γε αὐτῶν καὶ εἰς τοὐναντιώτατον ὡς καὶ εὐπραγῶν ἔγραφεν*, i. e. clade accepta Antonius victoris laudes sibi adsumpsit litteris laureatis Romam missis, *καὶ ὁ Καῖσαρ οἵ τε συνόντες αὐτῷ οὐκ ἐν τῷ κοινῷ αὐτὰ* (sc. *τὰ γεγραμμένα*) *διήλεγχον, ἀλλὰ καὶ ἐβουθύτουν καὶ ἑώρταζον*, i. e. supplicationes propter victoriam scilicet habendas curaverunt.

Cum autem propter iunctos titulos imperatoris III et consulis designati II et III tertia salutatio sedem sibi quaerat ante annum 34, in quem Antonius cos. des. II fuit, quid obstat quominus vano [2]) Antonii ingenio etiam tribuamus titulum imperatoris tertio adsumptum? Nihil, quod videam, impedimento est. At haec omnia tantum veri similia sunt ita, ut etiam falsa esse possint: argumentum firmius mihi in promptu est. Plutarchus [3]) enim, qui copiosissime hanc Antonii expeditionem descripsit doctus a teste oculato

---

1) Dio 49, 32. cf. Lange Röm. Alt. III² p. 588.

2) Ceterum Antonium inanibus honoribus titulisque multum tribuisse vel inde patet, quod a. 31 cos III se nominat, etsi tunc abrogatus (Mommsen Staatsr. I. 608, a. 1).

3) Plut. in vit. Ant. c. 43: *αὐτοκράτορα καλοῦντες*. cf. de huius tituli vi App. II, 44: *καθάπερ αὐτοῖς* (*τοῖς στρατηγοῖς*) *ἐπιμαρτυρούντων* (*τῶν στρατιωτῶν*) *ἀξίως σφῶν αὐτοκράτορας εἶναι*.

Q. Dellio, auctor est, cum Antonius quadam clade a Flavio Gallo accepta milites vulneratos et suae saluti desperantes circumiret et bono animo essent hortaretur, eum, qui in rebus adversis tam peritum ducem tamque fortem militem se praestitisset, a militibus imperatorem appellatum esse, cum simul exclamarent se salvos esse, quamdiu illum incolumem viderent.

Si igitur veterum testimoniis quicquam tribuendum est, non possumus quin Antonium imperatorem tertio factum esse concedamus per hanc infortunatam expeditionem, quam adversus Parthos suscepit exeunte vere anni 36, perfecit mense Novembri eiusdem anni, quo nondum exacto Alexandriam revertit [1]. Sed iam videamus utrum admittant nummi an vetent hanc interpretationem: in aliquot denariis tropaeum, in alio tiaram et arcum sagittasque in crucis formam disposita, in uno etiam proram navis tropaei pedi adpositam conspicimus. Quae cum victoriae signa semper in eadem parte, qua titulus imp. III, collocata sint, dubitandum non est, quin ad ipsam tertiam salutationem pertineant et Antonius propter aliquam victoriam e rebus Asiaticis partam imp. III factus sit [2].

1) De accurate constitutis temporibus cf. Fischer Zeittaf. p. 358.

2) Tiaram tam ad Parthos quam ad Armenios pertinere passim scriptores et nummi docent: apud veteres pro cuiusvis Asiatici regis insigni

Quae et qualis ea victoria fuerit, vidimus, proram autem navis tropaeo adiectam ad debellatum Sex. Pompeium referendam esse existimo, quem paulo ante has Antonii res gestas Caesar collegae navibus adiutus devicerat. Eam victoriam Antonius in honorem classis, quam ei Caesar remiserat, his nummis celebraverit.

M. ANTONIUS IMPERATOR IIII.

Reliquum est ut tempus et causam quartae salutationis constituamus.

In denariis titulus imperatoris quarto adscribitur titulo cos. III: fuit igitur Antonius imp. IIII per annum consulatus tertii (31). Cum autem tituli imp. IIII cos. des. III iuncti in nullo nummo occurrant et omnibus denariis, cusis Antonio imperatore quarto, in adversa parte victoriae imagines impressae sint, veri simile fit Antonium eo tempore, quo illi nummi signati sunt (anno 31 a. c. n.), victoriam aliquam

---

poni videtur. Eam opinionem Borghesius quoque tuetur. (Opere II, 47) Quodsi autem huius formae tiara non ad Parthos sed ad Armeniam respicit, fortasse alludit ad foedus cum Artavasde, Armeniae rege, initum, (Plut. in vit. Ant. c. 37) quod etiam post eius discessum non ruptum est. (Dio C. 49, 31).

reportasse, vel saltem imperatoriae appellationis adsumendae iustam se habere causam putasse. Maximum vero argumentum ad hanc rem probandam inde duco, quod in permultis ad eum pertinentibus nummis Antonius imp. III cos. des. III appellatur; quo tempore ergo consulatu altero defunctus fuit titulumque cos. des. III nomini apposuit, id est post annum 34, adhuc imp. III erat. Unde consequitur causam quartae salutationis non anno 34, sed 33, 32, vel ipso 31 eliciendam esse. Quia enim Antonius consul eponymus [1]) anni 34 memoratur, eo anno titulus cos. II cos. des III a III viro adsumi poterat, non poterat titulus cos. des. III, quem demum *post* alterum consulatum gessit.

Qui de his rebus quaesiverunt Eckhel Borghesius alii, ad unum omnes sine ulla dubitatione causam huius salutationis victoriam Armeniacam (anni 34) esse crediderunt, sed ut omittam hac illorum ratione accepta ex duobus annis (33, 32) nullos nummos ab Antonio vel eo auctore cusos aetatem tulisse, non apparet quid sibi velint victoriae imagines nummis supra memoratis impressae, deinde cur Armenia devicta nummis suis glo-

1) Klein Fasti consul. p. 4 annot. 9. — Aetatem tulit aureus, cui inscriptum: M · ANTONI · M · F · M · N · AVG · IMP · TERT · COS · ITER . ΔESIGN · (sic) TERT · III · VIR · R · P · C.

riam militarem auctam Antonius non significaverit, denique cur Dio Cassius, cum alias saepe talium salutationum mentionem faciat, in narratione triumphi Alexandriae acti nihil nobis tradiderit de appellatione, quae hac occasione adsumpta esset. Quas ob causas quartae salutationi annum 31 et priorem quidem huius anni partem adsignandam puto. Exstant denarii haud rari, titulos exhibentes cos. III imp. IIII a. L. Pinario Scarpo signati, quem cum ex Dione constet ab Antonio descivisse statim post Actiacam pugnam, (die 2° mensis Septembris) sequitur illos nummos ante eam cladem cusos esse. Igitur imp. IIII factus esse videtur priore huius anni parte.

In causam autem si inquirimus, vereor ut victoriam afferre possim, quae tanti momenti videatur, propter quam ducem Antonium imperatorem salutatum esse probem, sed ex iis, quae de tertiae salutationis causa disseruimus, ad imperatoris nomen adsumendum satis esse apparet salutatio a militibus sive merito sive immerito in ducem conlata. Causam igitur quaerere possis in iis, quae Dio [1]) tradit: *κἀν τούτῳ* (per primas anni menses) *ναυμαχία τις ἐγένετο· ὁ γὰρ Σόσιος Λουκίου Ἀρρουντίου ναυσὶν ὀλίγαις ἐφορμοῦντός σφισιν ἐλ-*

1) Dio Cassius 50, 14.

πίσας ἄξιόν τι λόγου πράξειν, ἂν πρὶν τὸν Ἀγρίππαν, ᾧ πᾶν τὸ ναυτικὸν ἐπετέτραπτο, ἐπελθεῖν, συμβάλῃ αὐτῷ (Agrippa autem ineunte vere advenit) ἐξανήχθη τε ἐξαπιναίως ὑπὸ τὴν ἕω, ὁμίχλην βαθεῖαν τηρήσας, ἵνα μὴ τὸ πλῆθος σφων προϊδὼν φύγῃ, καὶ παραχρῆμα τῇ πρώτῃ προσβολῇ τρεψάμενος αὐτὸν ἐπεδίωξε μέν, οὐχ εἷλε δέ· τοῦ γὰρ Ἀγρίππου κατὰ τύχην ἀπαντήσαντός οἱ οὐ μόνον οὐδὲν τῆς νίκης ἀπώνατο, ἀλλὰ καὶ προσδιεφθάρη μετά τε τοῦ Ταρκονδιμότου καὶ μετ᾽ ἄλλων πολλῶν. Falso hic affirmat Dio ipsum Sosium hoc proelio navali obiisse, quem cladi Actiacae superstitem fuisse ex ipso Dione [1]) et Velleio [2]) discimus.

Termini igitur salutationum imperatoriarum, quae M. Antonio contigerunt, si quicquam demonstrasse videor, in hunc modum sunt constituendi:

Antonius imp. (I) fuit ab anno 43 usque ad annum 38 (in medium mens. Iul.).

Antonius imp. II ab anno 38 usque ad finem anni 36 (in mensem Octobr. vel Novembr.)

Antonius imp. III a fine anni 36 usque ad ver anni 31.

Antonius imp. IIII per annum 31 ad mortem.

---

1) Dio Cassius 51, 3. 2) Vell. II, 86.

Quaestio de M. Antonio imperatore his absoluta viam nobis munivit, qua eius IIIviri nummis aliquantulum lucis afferre conabimur.

Omnes M. Antonii nummos, sive ipso sive alio auctore cusi sunt, tripartito dividendos esse nemo non videt, qui aliqua historiae notitia praeditus intentis oculis eos contemplatur: non pauci Romae et intra Italiae fines, alii in provinciis sed tamen more Romano, alii in provinciis sed Graecis vel barbaris officinis percussi prodierunt.

Nos in quaestionem vocabimus primum eos, qui in ipsa Italia et Occidentis provinciis, deinde qui in Orientis provinciis signati esse videntur, quam viam ingressi etiam quendam rerum ordinem observabimus.

CAPUT PRIMUM.

I.

1. Lituus, praefericulum, corvus. M · ANTON · IMP ·

℞. Capeduncula, aspergillum, secespita, apex. M · LEPID · IMP · (den.).

2. Eadem insignia. M · ANTONI · COS · IMP ·

℞. Eadem insignia. M · LEP · COS · IMP · (den.).

3. Eadem insignia. M · ANTON · IMP ·

℞. Eadem insignia. M · LEPID · COS · IMP · (den.).

(varietates inscriptionum in quinariis: LEP · IMP · ℞ M · ANT · (ANTO) IMP ·; LEPID · IMP · ℞ M · ANTON · IMP ·)

(Cohen Méd. Cons. tab. III, IV; Med. Imp² I p. 34.)

Nullis Antonii nummis certius suam sedem adsignare posse nobis videmur, quam his denariis et quinariis. Primum enim cusi sunt postquam Lepidus pont. max. creatus, Antonius imp. salutatus est, antequam vero Lepidus Antonius Caesar tresviri reip. const. facti

sunt. Cum autem accurate sciamus Lepidum pont. max. creatum esse mense Mart. anni 44, Antonium imp. salutatum esse bello Mutinensi, quod die 21° mensis Apr. 43 confectum est, triumviratum denique legitime constitutum esse die 27° m. novembr. 43, sequitur hos omnes nummos illi tempori originem debere, quo Antonius ad M. Lepidum profugit, qui proconsule provinciis Hispaniae Galliaeque Narbonensi praeerat, tunc autem temporis in Gallia morabatur. Huic rei optime conveniunt denarii et quinarii, qui omnes ab Antonio Lepidoque coniunctim signati sunt. De titulis vero, quos IIIviri futuri suis nominibus adponunt, quantum ad Antonium imp., omnia sese recte habent, Lepidum autem constat illo tempore, quo supra descripti nummi necessario cusi sunt, imperatorem iterum fuisse [1]). Sed M. Lepidus imp. (I) eos non cudit, quippe qui anno 47 imp. (I) salutatus eodem anno triumphum egerit, quo tempore pecuniae una cum Antonio signandae nulla facultas fuit. Potius admiremur quo pacto Lepidus et Antonius in uno eodemque nummo *consules* appellentur, qui numquam et nusquam una hunc honorem gesserint. Ad hanc difficultatem tollendam haec una tantum via nobis patet,

---

1) Cic. Ep. ad. Fam. lib. X ep. 34, 35, datae diebus 22° et 30° mens. Mai. 43.

ut consulis titulo hic proconsulem significari censeamus, quod inscientiae vel negligentiae scalptoris tribui potuerit. Apud scriptores idem accidere videmus et licet Mommsen [1]) quam fortissime neget consules et proconsules in nummis et inscriptionibus umquam permisceri, nos factis cedentes potius affirmemus hos nummos exemplum eius confusionis, quam Mommsen fieri potuisse negat, nobis praebere. Nam et Antonius et Lepidus eodem anno proconsules fuerunt, neuter hoc tempore consul fuit neque umquam consulatum unà gesserunt.

Provinciam denique ubi nummi de quibus agimus cusi sint, Galliam fuisse et ex iis quae supra diximus apparet et stabiliri videtur similitudine horum denariorum et quinariorum cum illis qui biennio post Lugduni signati sunt [2]).

II.

1. Caput M. Antonii nudum imberbe dextr. M · ANTONIVS · III · VIR · R · P · C ·

℞ Mars dextra hastam, sinistra parazonium tenens, pede clipeo imposito. L · MVSSIDIVS · T · F · LONGVS · IIII · VIR · A · P · F · (aureus).

2. Caput Antonii nud. imb. d. M · ANTONIVS · III · VIR · R · P · C ·

---

1) Röm. Staatsrecht II² p. 230, 5.   2) cf. dissert. pag. 40 sqq.

℞ Cornu copiae. ·L·MVSSIDIVS·LONGVS· (aureus).

3. Caput Antonii nud. imb. d. M·ANTONIVS·III·VIR·R·P·C·

℞ Pantheon. P·CLODIVS·M·F·IIII·VIR·A·P·F· (aureus).

4. Caput Antonii nud. imb. d. M·ANTONIVS·III·VIR·R·P·C·

℞ Mars hastam et parazonium tenens. P·CLODIVS·M·F· (denarius).

5. Caput M. Antonii nud. barbatum d. M·ANTONIVS·III·VIR·R·P·C·

℞ Anto heros sedens. L·REGVLVS·IIII·VIR·A·P·F· (aureus).

6. Caput M. Antonii barbatum d. M·ANTONIVS·III·VIR·R·P·C·

℞ dextrae iunctae C·VEIBIVS·VAARVS· (aureus).

7. Caput M. Antonii barb. d. (sine epigraphe).

℞ Mulier d. victoriae imaginem s. cornu copiae tenens. C·VIBIVS·VARVS· (denarius).

(Cohen Méd. Imp. [2] I Ant. 21, 20, 73, 72, 25, 4; von Sallet's Zeitschr. f. Numism. tom v. (1878) pag. 232 sqq.)

Duo potissimum argumenta sunt, quibus adhuc doctos viros adduci video, ut L. Mussidium Longum L. Livineium Regulum P. Clodium C. Vibium Varum

quattuorviros, anno 43 officio monetali functos esse contendant.

Primo enim loco unus ex iis (Clodius) denarios signavit caput Caesaris exhibentes titulosque eiusmodi ei appositos, qui Caesari, inter deos accepto, attribui nullo modo potuerint. Cum autem existiment Caesarem Divum esse factum post a. d. v. Kal. Dec. 43, ante vero huius anni finem, ipso hoc anno eos nummos cusos esse et Clodium tresque reliquos IIIviros fuisse censent. Atque teste Dione [1]) Caesar in deorum numerum relatus est post annum 43 peractum et priore anni sequentis parte, antequam IIIviri r. p. c. Bruto Cassioque bellum intulerunt. Dio enim postquam res anni 42 iam cap. 16 enarrare coepit, duobus capitibus post divinos honores Caesari decretos memoriae prodit, et quoniam nulla causa est, cur Dionis auctoritatem negligamus, Caesarem Divum esse factum priore anni 42 parte negare non licet, praesertim cum plura argumenta afferri possint [2]). Ex inscriptione quidem apud Orellium [3]) servata: DIVO · IVLIO · IVSSV · POPVLI · ROMANI · STATVTVM · EST · LEGE · RVFRENA ·, colligi videtur consecrationem Caesaris lege Rufrena decretam esse. Quod etsi nullo modo proba-

1) Dio Cass. 47, 18, 3.

2) Mommsen R. Staatsr. II² 733. 2.

3) Orelli. C. Inscr. 586.

tum est, quia ad statuam erectam tantum ea lex Rufrena spectare potuit, tamen falsum esse equidem non arguo. Sed Ciceronis epistula [1]) minime adducimur ut hanc legem anno 43 latam esse affirmemus, id quod Langio [2]) videtur. In ea enim epistula Plancus quendam Rufrenum memorat, quo una cum Canidio Lepidus usus est ad milites incitandos ut pacem cum M. Antonio flagitarent. Rufrenus autem legati aut tribuni mil. munere functus esse videtur [3]), igitur trib. pl. hoc anno (43) non fuit, quem honorem alio anno ab eo esse gestum necesse est. Alia res praeterea in promptu est, quae docet virum doctissimum v. Sallet errasse, ubi Caesaris consecrationem iam anno 43 factam esse censuit. Exstat enim denarius, in cuius antica parte Caesaris divi f. effigiem conspicimus litterasque C · CAESAR · III · VIR · R · P · C ·. Pars aversa ostendit coronam et sellam auream [4]) iam vivo Caesari decretas; sellae inscriptum est: CAESAR · DIC · PER · Eum denarium nemo adhuc, quod sciam, anno 42 assignare dubitavit [5]). Sin autem viro doctissimo v. Sallet fidem

---

1) Ep. ad Fam. X. 21, 4. 2) Röm. Alt. II, 631.

3) cf. Orelli Onom. Tull. s. v. Canidius.

4) Dio. C. 45, 6.

5) Difficile dictu est quibusnam ludis Caesar filius sellam coronamque patris oculis vulgi subiecerit, quorum in memoriam hunc denarium cudundum curavit; fortasse ludis Apollinaribus (d. 6—13 m. Jul.), et tunc consecratio publice facta esse potuit ludis victoriae Caesaris (d. 20—30

habes, huic quoque denario titulus Divi Iulii vel Divi Caesaris inscriptus esse debebat, quia secundum v. S. post illud tempus lucem vidit, quo Caesar consecratus est. Cum vero Dictator perpetuo adhuc nominetur, anno 42 nondum inter deos relatus fuit. Ergo ad Clodii et reliquorum IIIvirorum nummos anno 43 adsignandos eo non adducimur, quod denarii ab iis cusi exstant Caesaris capite nondum in deorum numerum recepti insignes.

Deinde nummi ab his IIIviris cusi occurrunt in thesauris, quos defossos esse arguunt tempore belli Mutinensis. Sed pleraque ex thesauris ducta argumenta mihi quidem non multum valere semper visa sunt: etenim quomodo in his agi solet? Ad tempus defossi alicuius thesauri definiendum, cuius plerique nummi indubitato certoque tempori dari possunt, reliquos vero incertos ex illis cognoscere studemus, prius constitui solet thesaurum eo anno humo mandatum esse, ad quem nummi ultimo cusi pertinent; deinde nummos, quorum aetates ignotae sunt, illi tempori dandos esse censent, quod hunc annum, ita constitutum, antecedit. Hanc definiendi rationem minus veram esse, demonstrare vix opus est: namque illi incerti nummi quo-

---

Jul.) ipso anno post stellae crinitae miraculum. Modeste moneo ad ludos Apollinares alludere denarium a Livineio cusum, exhibentem Caesaris effigiem inter ramum laureum et caduceum. ℞ taurus cornupeta. (Coh. Méd. Imp.[2] I Caesar 27).

modo non cusi esse possunt post illum annum, quem reliquorum auctoritate nummorum terminum defossi thesauri constituerunt? Ut exemplo dicta illustremus, thesaurum Compitanum, in quo denarii initio et fine IIIviratus Lepidi Antonii Caesaris cusi, maiori numero antiquiorum admixti erant, tamen quia reliqui totum et quasi definitum corpus efficere viderentur, anno 49 humo mandatum esse viri docti probare studuerunt [1]). Ii vero opinionem praeiudicatam rei afferre mihi videntur. Si vir doctissimus v. Sallet, de anno defossi thesauri Caiatiani [2]) agens, eandem viam ingressus esset, facile demonstratu fuisset neglectis et pro nihilo habitis Antonii denariis ex anno 41, eundem thesaurum anno 43 sub terram absconditam esse, solum propter congruentiam, ut ita dicam, reliquorum, quos continebat, nummorum. Iam vero certum est eum thesaurum infossum esse non ante annum 41, non ante annum 41, iterum dico: etenim hoc mihi semper persuasum erit, ex thesauro unum tantum effici licere aliaque argumenta omnia coniecturae tantum nomine

---

1) v. Sallet's Zeitschr. 1875. p. 352.

2) Thesaurus Caiatianus humo mandatus est non ante ann. 41, fortasse eo tempore cum bello instante Caesar L. Antonium Teani Sidicini convenit. Causa cur ceteri thesauri infossi sint, fortasse quaerenda est in eo tempore, quo omnis Italia bello Perusino concuteretur et exercitus ex Gallia arcessiti ad pecuniam suam defodiendam multos compulerint.

digna esse praeter hoc unum, ad quod nummis, quorum tempora certo circumscripta sunt, inducimur: ut constituatur *post* quod tempus thesaurus aliquis defossus esse debeat, cum inde, quod quaedam nummorum exemplaria desunt, vere definiri non possit *ante* quod tempus thesaurus humo mandatus sit.

Quibus cum me demonstrasse videar argumenta, quae attulerunt viri docti ut Clodium Livineium Mussidium Vibium IIIIviros anni 43 fuisse docerent, ad rem efficiendam parum valere, non errare nobis videmur, cum eos censemus IIIIviros monetales fuisse anno 42. Duas res iam demonstratas accipere licet: I Livineium Clodium Mussidium Vibium, quamquam nullus nummus exstat, quo Vibius quattuorvir ipso hoc verbo appellatur, una per anni spatium officinae monetali praefuisse; II eo officio eos functos esse non anno 38, ut Borghesio et aliis visum est, sed aliquot annis ante et quidem brevi tempore post Lepidum Antonium Caesarem IIIviros r. p. c. creatos. Sin contendis eos anno 43 officio monetali functos esse, iam concedas necesse est omnes aureos denariosque ab iis cusos inter a. d. v. Kal. Dec. 43 et prid. Kal. Ian. 43 (= 31^{0} d. m. Dec. 43) collocandos esse, quia imagines titulique IIIvirorum r. p. c., a. d. v. Kal. Dec. demum legitime creatorum, non nisi post hunc diem a IIIIviris mo-

netalibus, praesertim a reip. magistratibus, aureo argentoque imprimenda erant. In maxima autem multitudine aureorum et denariorum, varios typos exhibentium, quos brevissimo 34 dierum spatio malleum expertos esse oporteret, (circumferunter eorum non minus quinque et viginti varii metalli generisque) prorsus a vero abhorrere ea res mihi videtur, idque eo magis, quod argumenta imaginesque, in aversis partibus aliquot nummorum delineatae, omni explicatione carerent. Vibium porro Varum tam inconstantem et »varium" hominem fuisse crediderimus, qui intra unius mensis spatium nunc more communi *C. Vibium Varum*, tunc obsoleto et prisco scribendi modo arrepto *C. Veibium Vaarum* se appellaret? [1]) Deinde unde haec magna pecuniae vis a IIIviris collecta est eo mensi, cum notissimum sit proscriptionibus virorum et mulierum locupletium et publicationibus bonorum pecuniam iis comparandam fuisse? Denique, si Mussidium Clodium Livineium Vibium anno 43 IIIIviros fuisse contendimus, a veritatis specie alienum videtur, cum ex iis XXX diebus tot et tanti nummi servati sint, ex anno 42 fere

---

1) Noti sunt aurei capita IIIvirorum exhibentes a C. Veibio Vaaro signati, et denarii Antonii et Caesaris a C. Vibio Varo cusi.

nullum denarium vel aureum ad nos pervenisse [1]). Immo permagnam pecuniam signatam esse optimo iure expectes eo anno, cum IIIviris 200.000.000 denariis opus fuit, unde praemia pro capitibus proscriptorum proposita solverent, bellum cum liberatoribus gererent, militibus post bellum satisfacerent.

Quibus omnibus de causis multo magis cum veritate congruere mihi videtur res huius anni (42), quatenus ad IIIIviros pertinent, hoc modo sese habuisse. Tresviri r. p. c. postquam acta Caesaris rata [2]) se habituros post Kal. Ian. iuraverunt, et magistratus monetae praepositos, quorum Caesar numerum uno ampliaverat, quattuor monstraverunt (quod iis lege Titia licebat), anno 42 Mussidium Clodium Livineium Vibium quattuorviros creandos curaverunt negotio iis dato ut Mussidius Clodius Livineius aurum publice ferirent, C. Vibius Varus tam aurum quam argentum signaret. (Illo modo quaestio illa dirimenda esse videtur, cur Vibius titulum IIIIviri a. p. f. suo nomini numquam apposuerit). Paulo post, sed ante Caesarem inter deos

1) Octaviani duo vel maxime tres nummi huic anno assignari *possunt*, Antonii Lepidique ne unus quidem.

2) Quia ex anno 43 (exceptis Clodio et reliquis) duo tantum viri noti sunt, qui monetae praefuerunt, Accoleius et Capitolinus, fortasse per annum 43 Caesaris institutum de minorum magistratuum numero ampliato, ut alia eius acta, iacuit, sin minus — quare IIIviros iusiurandum in ea dare opus fuit?

consecratum, quia exstant denarii *argentei* P. Clodii, caput Caesaris nondum Divi ostendentes, amplius illud munus, iam antea Vibio datum, ad reliquos tres quoque pertinere coepit. Si huius rei veram speciem cepi, paullo ulterius progresso statuere etiam mihi liceat omnium primos cusos esse aureos, quibus Livineius laudes gentium [1]), quarum singuli IIIviri erant, Vibius eorum concordiam [2]), Mussidius gloriam bellicam [3]) seu praesentem seu futuram extollit, Clodius denique Antonium per Pantheonis imaginem, Caesaris gentem per Veneris formam, Lepidum propter nuper actum triumphum per tropaei imaginem celebravit. Eodem tempore aliquot denarii a Vibio cusi esse possunt (illos dico, qui singuli Antonium et Octavianum barbatos exhibent; denarii, quibus ille Lepidi vultum incudit, adhuc deficiunt). Cum postea maius munus argenti etiam feriundi omnibus mandatum esset, ex consuetudine eorum temporum omisere titulum quattuorviri [4]).

---

1) Livineius *Antonii* benevolentiam captare studuit per Antonis imaginem (cf. Plut. vit. Ant. c. 4), *Lepidi* per Rheam Silviam sive Aemiliam, *Caesaris* per Aenean et Anchisen.

2) In omnibus eius aureis dextras iunctas conspicimus.

3) Quia omnibus aureis Martis imaginem impressit.

4) Titulum omittere quattuorviris in usu fuisse, adponere supervacuum fuisse, ex denariis apparet a IIIIviris anno 44 cusis. Flaminius Chilo IIIIvir appellatur quia „primus flavit" argentum, reliqui titulo numquam utuntur, excepto Cossutio, qui se aut (IIIIvirum) a. a. a. f. f. nominat, aut sine titulo C. Cossutium Maridianum.

Tunc per reliquam huius anni partem Mussidius et Livineius aureos suos signaverunt, Clodius et Vibius denarios; Clodius eum denarium, cui Martem ad pugnam paratum impressit, *ante* bellum Philippense, ad quod ipsum spectare videtur, Livineius autem aureum suum post victoriam apud Philippos partam, quia illa victoriae lauream porrigentis imago ad victoriam reportatam aeque spectare debet, atque illa quam Casca Longus in honorem Bruti *imperatoris*, P. Scarpus in honorem Antonii *imperatoris IIII* effinxerunt.

Ceterum ne quis mihi obiciat Lepidi nomini titulum consulis. quo is tum honore fungebatur, adscriptum esse debere. Namque ut Caesar titulos imp. pont. aug., Antonius titulos imp. aug. omisit, quia triumviratus consulari potestate omnibus aliis honoribus pensabatur, sic Lepidus IIIvir r. p. c. tantum appellari videtur.

Ergo IIIviris L. Livineio Regulo P. Clodio M. f. L. Mussidio T. f. Longo C. Vibio Varo anno 42 appositis, multis nummis explicatio contingere multaeque et graves difficultates tolli mihi videntur.

III.

I. Caput victoriae, cuius humeri alis ornati sunt, dextr.

℞ Leo progrediens d. LVGVDVNI · A · XL · (quinarius).

2. Idem victoriae caput III · VIR · R · P · C ·

℞. Leo progrediens d. ANTONI · IMP · A · XLI · (quinarius).

(Cohen Méd. Imp.² I pag. 51).

Si quis demonstrare velit in populi Romani nummis, Augusto aetate antecedentibus, mulieris Romanae effigiem omnino non occurrere, firmiora argumenta afferat necesse est, quam quibus nisus Friedländer [1]) obiter vetat, ne mulieris effigiem, in aureo, apud Coh. Méd. Imp.² I pag. 52 n⁰. 1 descripto, Octaviae esse dicamus. Quam opinionem iam statim refutant nummi aenei ab Antonii praefectis classis signati eodem ipso tempore, quo aureus ille lucem vidit; facies enim muliebris iis nummis incusa, quae vel Antonium e contraria regione aspicit, vel eius capiti iuncta est, tam viva et humana est, ut nemo eam imaginem, quae praesertim omnibus insignibus, diis attributis, careat,

---

1) v. Sallet's Zeitschr. 1875, p. 289.

ad mulierem vivam et Octaviam pertinere neget, affirmet deae Victoriae vel alius esse. Item in cistophoris et nummis C. Fontei caput Antonii non cum aliqua divina effigie iunctum aspicitur, sed una cum Octavia apparet, eadem ratione qua in tetradrachmis Ptolemaeorum rex et regina.

Immo et Cleopatrae et Octaviae imagines in Antonii nummis sive in eadem parte, qua IIIviri caput, sive in adversa parte conspici, non temere affirmare nobis videmur: de Cleopatra certiores nos facit notus denarius (cusus anno 34 a. c. n.), in quo imagini eius nomen etiam circumdatum est; Octaviae autem omnes muliebres imagines tribuendas esse, quas in nummis praefectorum classis expressas videmus, recte Lenormant [1]) et Borghesius [2]) demonstrasse mihi videntur. Alia vero res est utrum Fulviae, M. Antonii uxoris, imago nummis Romanis efficta sit necne; cum autem capita ei attributa semper sub deae Victoriae imagine lateant nomenque numquam adscriptum habeant, (quod republica stante haud sane fieri potuit), ea res pro vera affirmari non potest, omnino coniectura tantum consequi et veri similem dicere licet.

Si imagines muliebres, quas Antonii nummi habent,

---

1) Trésor de Numism. et de Glypt.: Iconographie des Empereurs R. p. 4, 5.

2) Opere II p. 92.

diligenter comparantur, in oculos incurrit quam inter sese dissimilia sint lineamenta horum capitum etiam in nummis eodem tempore cusis. Normam igitur, qua ea distinguamus, quaesituri hinc nullum argumentum ducamus; ex capillorum positu cultuque potius quaestionem ordiatum. Bipartito dividendae omnes hae mulierum imagines videntur: I sunt quarum capilli a fronte in duas partes divisi et inde retroacti partim in nodum iuncti sunt, partim soluti dependent; II aliae eo modo capillos compserunt, ut unus spissus gradus a vertice in frontem et inde in verticem retroagatur ibique in nodum constringatur; crinibus autem solutis haec numquam utitur. Quae alae affixae sunt humeris eius capitis, cuius capillos ultimo loco descripsimus, deae Victoriae speciem ei induunt.

Eo modo capita muliebria in Antonii nummis distinguenda videntur, quantum colligitur ex nummis raris et maximam partem pessime conservatis.

Victoriae imago, quae est in quinariis Lugdunensibus supra descriptis, Fulviam nobis ante oculos ponere dicitur propter similitudinem huius capite cum illo, quod Fulviani [1]) nummis suis incudendum curarunt; sunt qui contendant eadem de causa Fulviae quoque attri-

---

1) Numism. Chronicle 1873. p. 320; Revue numism. 1853 p. 248.

buendas esse Victoriae imagines aurei Numoniani et denarii Mussidiani.

Ac primum quidem numeri XL, XLI quinariorum nostrorum aetatem Antonii indicant, quod non dicam probavit, sed veri simillimum reddidit Eckhel et post eum Borghesius [1]. Cum autem de ipso anno natali M. Antonii iam veteres dubitarent nummique Fulviam exhibentes locum sibi quaererent in belli Perusini tempore, hi quinarii necessario Lugduni cusi sunt anno 41 a. c. n. (quia enim de *die* natali Antonii quoque nihil constat, non opus est quinarium numero XLI praeditum in annum 40 differre). Quod autem Fulviae effigies his nummis expressa sit, ea res, ut iam monuimus, veri similis tantum effici potest. Nam si ad nummum aeneum Fulvianorum attenderis Eumeniae, in Phrygiae urbe, magistratu Smertorige Philonidae f. cusum, in oculos incurrit quam similem in modum capilli compositi sint eius Victoriae capitis, quod Fulvianorum nummus et quod Lugdunenses nostri quinarii ostendunt. Quomodo vero Fulviae imago occurrat in nummo tam procul ab urbe signato, iure roget aliquis. Fortasse milites, quos ex suo exercitu Fulvia vel Plancus bello Perusino confecto in Orientem secum

1) Eckhel D. N. V. VI p. 40.; Borghesi Opere I. p. 498.

adduxerant, Eumeniam veterani deducti sunt et in antiquae dominae memoriam honoremque accepto Fulvianorum nomine Victoriae suis nummis imprimendae faciem Fulviae induerunt. Quantum denique ad quinarios Lugduni cusos, Q. Fufius Calenus, qui bello Perusini tempore Galliae parti praeerat [1]), Fulviam nummis effingi facile iusserit, quacum muliere teste Cicerone arctis vinculis coniunctus fuit; is [2]) enim certiores nos fecit tempore belli Mutinensis Fulviam domi Caleni habitasse, quem ipsum procuratorem Antonii alibi Cicero dixit.

Fulviam igitur et Victoriam quinarii Lugdunensis unam eandemque esse a veri specie haud alienum mihi videtur. Sed ut demonstrem a C. Numonio Vaala [3]) quoque et L. Mussidio Longo Fulviae effigiem nummis impressam esse, argumenta prorsus me deficiunt. Fieri sane potuit ut C. Numonius Vaala L. Servius Rufus M. Arrius Secundus huius anni (41) quattuorviri monetales (vel tresviri?) Fulviam hoc honore ornaverint, quae coniectura eo stabiliri videtur, quod plane eodem modo compta est victoriae imago aurei Numoniani et illa quam Fulviani aeri impresserunt. At hi IIIIviri

---

1) cf. infra pag. 49. 2) Phil. XII, 1, 1.

3) qui fortasse idem fuit atque ille quem inscriptio (C. I. L. VI. 1360) memorat: CN · BAEBIO · TAMPILO · VALAE · NVMONIANO · Q · PR · PROCOS · III · VIR · A · A · A · F · F ·

magistratus reipublicae fuerunt. Concedo; sed Fulvia, quae sua auctoritate exercitus comparabat et bella gerebat, perfacile iis magistratibus persuadere potuit, ut suam imaginem nummis publice feriundis celebrarent: favebat etiam haud parva senatus pars L. Antonio et Fulviae. Mussidium tamen (si quidem anno 42 IIIIvir fuit) munere suo per duos continuos annos functum esse accipiendum erat, quod equidem in tali argumentorum inopia contendere non audeo. Quod igitur Cohen [1]) et alius quidam [2]) Fulviae tribuerunt Victoriae imaginem aurei Numoniani et denarii Mussidiani, id me quidem iudice temere fecerunt, re pro demonstrata accepta quae pluris quam coniectura non valet.

Antequam huius disquisitionis finem facimus, iam moneamus eam muliebrem imaginem, quam in cistophoris capiti Antonii iunctam aspicimus, Fulviae non esse duobus de causis: primum non eo modo compta est, quo Fulviae capillos dispositos fuisse vidimus, deinde, id quod omnium firmissimum argumentum est, quo tempore illi cistophori cusi sunt, (post priorem anni 39 partem) iam diu Fulvia obierat.

1) Méd. Imp.² I. pag. 51.
2) Berl. Münzblätter 1881 Oct.—Nov.

CAPUT ALTERUM.

Quoniam M. Antonius maiorem partem temporis, quo IIIvir fuit, extra Romam et in Oriente degit, quippe qui post victoriam Philippensem res Orientis ordinandas et Parthos profligandos suscepisset, fieri non potuit, quin maior eius nummorum etiam numerus in provinciis Antonio assignatis cuderetur. Si autem, id quod huius libelli causa et institutum est, inquirerere volumus in tempora quibus, in locos ubi, in causas cur singuli nummi signati fuerint, ut suum cuique pretium et usus in historia explicanda et supplenda reddatur, operae pretium est, ut conditionem provinciarum Antonii describamus et, quantum fieri poterit, praesides, illis ab Antonio praepositos, colligamus. Ex undique igitur congesta materie Fastos quosdam provinciales huius temporis constituere aggredimur, imperfectum sane opus constructuri propter inopiam et infrequentiam eorum, quae huc spectantia scriptores tradiderunt.

Caesaris occisi potentia occupata inter alias res, quas Senatui Populoque Romano Antonius per vim abstulit, fuerunt provinciae Gallia Cisalpina (togata) et Gallia ulterior, eas Galliae partes amplectens, quibus Caesar imperium Romanum amplificaverat. In has, consulatu perfunctus, proconsulari imperio Antonius profecturus erat. Galliae autem Cisalpinae, iam antea acceptae, D. Brutus per annum 44 praeerat; Galliae ulterioris partem, quae vocabatur Lugdunensis, L. Munatius Plancus, quae Belgica, per legatum suum A. Hirtius administrabat [1]). Ex eo tempore cum Hirtius consulatum initurus eam reliquit (fin. 44), Plancus totam Galliam ulteriorem (comatam) sub sua potestate habuisse videtur [2]). Exeunte anno 44 Antonius, provinciam Galliam Cisalpinam D. Bruto per vim extorquere aggressus, hostis reip. declaratus et bello Mutinensi devictus ad M. Aemilium Lepidum confugit, qui eo tempore Galliae Narbonensis (bracatae) praeses erat. Ut Lepidus et Plancus, quorum illum Antonio favere omnes iam sciebant, hic ne idem sentiret metuebant, impedirentur quominus partes Antonii sequerentur, hoc tempore iis publice negotium datum est Lugduni condendi. Nihilominus et Lepidus primus, (die 29^0 m. Mai) et Plancus postquam diu multumque

---

1) Cic. ad. Att. XIV, 9. 3. 2) Lange Röm. Alt. III^2 p. 524.

tergiversatus esset, Antonio se adiunxit. Caesar etiam (mense Nov.) consilia sua cum Antonio et Lepido consociavit, unde triumviratus et interitus ille liberae reipublicae tandem ortus est. Imperium Romanum tunc ita diviserunt, ut Antonius provincias sibi iam decretas, Caesar Africam Siciliam Sardiniam, Lepidus Hispanias et Galliam Narbonensem obtinerent. Deinde L. Vario Cotyla Galliae praefecto Romam redierunt, ubi lege Titia lata IIIviri reipublicae constituendae consulari potestate a populo Romano tandem creati sunt. Antequam vero ad Brutum Cassiumque debellandos profecti sunt, magistratus tam urbani quam provinciales assignati sunt, ab Antonio Galliae comatae Q. Fufius Calenus et P. Ventidius Bassus, Galliae Cisalpinae, ut videtur, C. Asinius Pollio.

Defensoribus reipublicae ad Philippos oppressis Antonius in Asiam, Caesar in Italiam iturus alteram divisionem fecerunt domini orbis terrarum hoc modo, ut Antonius pro Gallia cisalpina, libera remissa [1]) Italiaeque addita, Galliam Narbonensem acciperet et provincias, quas ad id tempus Brutus Cassiusque rexerant, pacaret. Cum autem anno 41 eosdem duos viros Galliae praeesse videamus, quos jam antea Antonius praefecerat, veri simile est Ventidium et

1) Appian. B. C. V, 3; Dio Cassius 48, 12.

Calenum provinciam Narbonensem suis additam, inter sese divisisse, nisi Asinium, cui Gallia Cisalpina remittenda fuerat, unam de tribus his provinciis obtinuisse putamus. Sed accuratius nihil affirmari potest: Pollionem vero Cisalpinae praefuisse post bellum Philippense nihil docet. Habuerit igitur Ventidius provinciam Narbonensem, Calenus Comatam. Bello Perusino confecto (ineunte an. 40) duae Galliae transalpinae, a Caesare occupatae, e numero provinciarum Antonio parentium exemptae sunt.

Antonio praeter Gallias etiam Bruti et Cassii provinciae assignatae sunt 1 Illyricum et Dalmatia, 2 Macedonia et Achaia, 3 Asia, 4 Bithynia et Pontus, 5 Cilicia et Cyprus, 6 Syria, 7 Creta et Cyrenaica. Videamus de singulis.

1. In *Illyricum* ad bellum cum Parthinis gerendum C. Asinius Pollio missus est, qui eo sub fin. anni 40 profectus Antonii legatus an huic provinciae praefectus fuerit, incertum est. Sed hostibus fusis Romae triumphavit die 25° m. Oct. 39. Haec omnia sunt, quae de Illyrico, M. Antonii provincia, cognovimus. Dubitatur tamen an haec provincia inter eas numeranda sit, quae Antonio ex pacto Philippensi decretae sunt [1]).

1) Mommsen, Res Gestae D. A. p. 69.

2. De *Macedonia et Achaia* non multa plura nobis innotuerunt. Post bellum Philippense Antonius res Orientis ordinare coepit L. Marcio Censorino provinciae Macedoniae et Achaiae praefecto, qui cum anno 39 consul fuerit, ad id tempus huius provinciae propr. mansisse videtur. De ceteris nihil scriptores tradunt, nisi quod Appianus [1]) de quodam praefecto mentionem facit.

3. Post liberatorum ad Philippos interitum provinciam *Asiam* ingressus Antonius inde res Orientis constituere coepit et per unius anni spatium (ex fin. 42 usque ad fin. 41) ibi et in aliis provinciis remoratus, Alexandriam ad Cleopatram se contulit provinciis non sine praesidiis et defensoribus relictis, quod illo Parthicarum invasionum tempore periculosissimum erat. Quem autem huic provinciae praeposuerit ex auctoribus nostris, quibus omnino, de his rebus agentibus, multa desunt, non apparet. Planco enim, quem Dio tradit huius provinciae praesidem relictum esse, hoc tempore nullum locum esse Bürcklein [2]) et Schiller [3]) demonstraverunt. Itaque frustra desudamus in scriptoribus perscrutandis, ut hanc lacunam expleamus: exploratum

1) App. B. C. V. 138.
2) Bürcklein, Chronologie der Röm. Parth. Feldzüge pag. 53. sqq.
3) Schiller. Gesch. der Röm. Kaiserzeit p. 87.

non habemus quis per annum 41 et priorem anni 40 partem Asiae praefuerit. Parthos deinde et Labienum per priorem anni 40 partem Asiam occupatam habuisse et L. Munatium Plancum in eiusdem anni posteriore parte ad Asiam appulisse, idem Bürcklein exposuit. Nihil porro obstat, quominus Plancum hoc munere functum esse ponamus per annos 40 (poster. partem) 39 38 37, cum per annos 36 35 praesidem provinciae fuisse C. Furnium [1]) auctores testentur. Excepit hunc M. Titius [1]) procos. praef. clas. cos. desig., quem cum medio anni 32 M. Antonii partes deseruerit, ad hoc usque tempus Asiae praefuisse facile credas. Sed hic ultimus est, qui Asiae praefectus memoratur. Ergo duae lacunae extant, prima anni 41 et prioris anni 40 partis, altera annorum 32 et 31 (usque ad a. d. IV. Non. Sept.).

4. De *Bithyniae et Ponti* praefectis si quaerimus, eadem inopia rerum traditarum impedimento est. Nomen eius, quem Antonius cum primo Asiam adiret ei provinciae praeposuerit, ex antiquitate erui non potuit: lacuna est usque ad med. an 40. Eo tempore, iam ante pacem circum Brundusium compositam, Cn. Domitius Ahenobarbus missus est, qui Bithyniam et

---

1) Waddington, Fastes Asiatiques p. 81. 82.

Pontum regeret. Cui provinciae cum eum praepositum inveniamus etiam anno 35 [1]), nihil obstat quominus usque ad finem anni 33 idem eum munus gessisse adseveremus (consul fuit anno 32.). Quare in Bithyniae praesidum enumeratione duas quoque lacunas offendimus, primam anni 41 et prioris anni 40 partis, alteram annorum 32 et 31 (usque ad a. d. IV Non. Sept.).

5. 6. Ineunte hieme anni 41 Antonius in Aegyptum profectus L. Decidium Saxam legatum *Syriae* et, ut videtur [2]), *Ciliciae* etiam praeposuit. Insequentis anni vere Parthi et Labienus, Saxa superato occisoque, illi Ciliciam et Syriam occupant, hic Asiam usque ad littus Ionicum victor pervadit. Post foedus Brundusinum P. Ventidius Bassus Ciliciae et Syriae praefectus, proconsule ab Antonio ad Parthorum impetus frangendos in Orientem missus est. A Parthis igitur hae provinciae obsessae fuerunt inde a vere anni 40 usque ad aestatem insequentis anni, quo tempore Ventidius prima de iis victoria apud Taurum montem reportata Ciliciam, altera apud Amanum montem, Syriam quoque sub potestatem Romanorum redegit. Post tertiam

1) Plut. vit. Antonii 56. 2) Schiller l. l. p. 44 annotat.
3) Eo sensu 'Ασία vocem accipiendam esse docuit Bürcklein l. l. p. 55.

victoriam, quam Ventidius eodem die, quo antea Crassus superatus fuerat, rettulit et per ipsam Samosatae obsidionem Antonius in Syriam venit, ubi, postquam Ventidio ad triumphum dimisso bello quodammodo finem imposuerat, (38/37) Sosium provinciis Ciliciae et Syriae praefecit, ipse rursus Occidentem versus festinavit: paulo post foedus Tarentinum ictum est. Statim tunc Antonius ad bellum Parthicum gerendum profectus Syriam attigit (auctumno 37), quo arcessitae per Fonteium Cleopatrae partes Syriae et Ciliciae, totam Cyprum, partem Arabiae et fortasse etiam Cretam largitus est. Anno 36 demum expeditionem illam infami exitu adversus Parthos suscepit, ex qua postquam tamen ipse incolumis evasit, L. Munatium Plancum ei Syriae parti, quam Cleopatrae non dederat, praefecit auctore Appiano. In huius locum L. Calpurnius Bibulus successisse videtur. Eum deinde secutus est Q. Didius praefectus Caesaris, qui Syriae praepositus invenitur anno 31.

7. De *Cretae Cyrenaicaeque* praesidibus nihil traditur. Cretam Cleopatrae uxori Antonius dedisse videtur (a. 36), Cyrenaicam Cleopatrae filiae suae concessisse veri simile est.

I.

1. Caput nudum imberbe M. Antonii dextr. M · ANT · IMP · AVG · III · VIR · R · P · C · M · BARBAT · Q · P ·

℞ Caput nudum imberbe Caesaris dextr. CAESAR · IMP · PONT · III · VIR · R · P · C · (aureus, denarius).

2. Caput nudum imberbe M. Antonii dextr. M · ANT · IMP · AVG · *) III · VIR · R · P · C · M · BARBAT · Q · P ·

℞ Caput nudum imberbe L. Antonii dextr. L · ANTONIVS · COS · (denarius).

3. Caput nudum imberbe M. Antonii dextr. M · ANT · IMP · AVG · III · VIR · R · P · C · M · NERVA · PROQ · P ·

℞ Caput nudum imberbe Caesaris dextr. CAESAR · IMP · PONT · III · VIR · R · P · C · (denarius).

4. Caput nudum imberbe M. Antonii dextr. M · ANT · IMP · AVG · III · VIR · R · P · C · M · NERVA · PROQ · P ·

℞ Caput L. Antonii nudum imberbe dextr. L · ANTONIVS · COS · (denarius).

5. Caput M. Antonii d., pone caput vas sacrif. M · ANT · IMP · AVG · III · VIR · R · P · C · L · GELLIVS . Q · P ·

℞ Caput Caesaris d., pone caput lituus. CAESAR · IMP · PONT · III · VIR · R · P · C · (aureus, denarius).

*) Auguris titulus in delineamento Coheniano errore omissus videtur.

(Cohen, Méd. Im. Ip^2 pag. 49, 50, 60).

Si quis horum nummorum inscriptiones capitumque lineamenta iis incusorum paulo diligentius inspexerit et inter sese contulerit, non potest quin sibi persuasum habeat eos omnes uno tempore vel potius per unius anni spatium cusos esse. Illi nummi quos primo et secundo loco posui et quos tertio et quarto, hoc tantum inter se differunt, quod nomen magistratus aliud est; imagines autem tresvirorum, litterarum etiam coniunctiones unae eaedemque sunt. Si igitur de tempore quaerimus, haud admodum difficile persuasu est eos cusos esse anno consulatus L. Antonii (41). Sed hac notitia non contenti operam demus ut etiam locos ubi et viros a quibus cusi sint, cognoscamus. Ac primum quidem, ut ea in nostram rem convertamus, quae ex ipsis inscriptionibus suppetunt, M. Barbatius et L. Gellius quaestores propraetore, M. Cocceius Nerva proquaestore propr. fuit; eos autem M. Antonii, non Caesaris vel L. Antonii quaestores fuisse inde apparet, quod nomina semper in illa parte nummorum, in qua M. Antonii imago, conspiciuntur. Ex similitudine porro typorum colligamus necesse est aureos denariosque supra descriptos, si non in eadem omnes parte imperii Romani, at tamen in iuxta sitis regionibus ex officinis malleatorum prodiisse. Quia denique in plerisque ab una parte Antonii, ab altera Caesaris imago conspicitur, temerita-

tis non arguemur si eos signatos esse contendimus eo tempore, cum concordia tresvirorum adhuc inlaesa fuit. Haec ex ipsis nummis colligere in promptu est; videamus iam si qua scriptores afferant huc spectantia. Apud Appianum [1]) legimus, paulo antequam L. Antonius Perusiae oppugnari coeptus est, Barbatium quendam Antonii quaestorem operam dedisse, ut quam plurimi a L. Antonio ad Caesarem desciscerent, cum diceret M. Antonium aegre ferre quod bellum cum Caesare gereretur. Appiani verba sunt: Βαρβάτιος δὲ ὁ Ἀντωνίου ταμίας, Ἀντωνίῳ τι προσκρούσας καὶ διὰ ταῦτ᾽ ἐπανιὼν, ἔλεγε κτἑ. Ex paucis his verbis multa et magna sequuntur. Diserte enim affirmat Appianus Barbatium cum Antonio rixatum esse, quod cum non nisi coram fieri potuerit, ille ab Antonio ex Oriente tunc revertit. Cum autem *post* bellum inter Antonium et Caesarem conflatum, *ante* oppugnationem Perusiae advenerit, ad Italiam eum appulisse mense Oct. vel Nov. apparet, nam part. praes. ἐπανιών usus Appianus significare videtur Barbatium recens ex Oriente reversum quasi adhuc in ipso itinere illa Caesaris studia prae se tulisse. Ex Oriente igitur redierit necesse est mense Sext. vel Sept. [2]), et si aliquid tribuendum

---

1) App. B. C. V. 31. 2) Bürcklein l. l. p. 56 annot. 4.

est auctoritati Appiani, comprobatum est illos aureos et denarios a M. Barbatio priore anni 41 parte in Oriente cusos esse. Haec de Barbatio dicere habemus; antequam vero de Nerva Gellioque agamus, pauca moneamus de titulis quaest. prop., proq. prop. — Borghesius [1]), qui post Eckhel [1]) recte, ut mihi videtur, litteras q. p. et proq. p. interpretatus est: quaestor propraetore, proquaestore propraetore, et qui his titulis eum significari dicit, qui absentis proc., propr., vel omnino provinciae alicuius praesidis vice fungatur provinciamque in qua antea quaestor fuisset imperio proconsulari obtineat, minus recte de M. Nerva ita disserere [2]) mihi videtur: »Nerva noster fuit ergo proquaestor factionis Antonianae in Italia anno 41". Namque ut omittam dicere de titulo »alicuius factionis proquaestore", qui quam alienus sit a publici Romani iuris ratione unicuique in promptu est, eo munere neque Nervam neque Gellium neque Barbatium functos esse inde probatur, quod intra Italiae fines quaestori prop. vel proquaestori prop. locus non est, quippe qui provinciales magistratus sint; ne Galliae Cisalpinae

1) Borgh. Opere I p. 484 et II p. 405, Eckhel D. N. V. IV. p. 248. Quaestor provincialis, proquaestore provincialis, quos titulos Vaillant et Cohen habent, nulli umquam fuerunt.

2) Op. I p. 436.

quidem ii praeesse potuerunt, quae provincia post pactum Philippense (42) libera remissa et Italiae addita fuisset. Proquaestorem denique eum magistratum esse, qui mortui vel alia de causa absentis quaestoris officio ornetur a provinciae proconsule vel propraetore, proquaestorem prop. vero eum, qui iam proquaestore vice ipsius provinciae praesidis fungatur, multis exemplis Marquardt [1]) Mommsen [2]) alii docuerunt.

L. Cocceius Nerva, interpres pacis Brundusinae, ab Appiano [3]) memoratur, cui non Lucii sed Marci praenomen fuisse contra Borghesium contendo. Nam primum perfacile Μ · ΚΟΚΚΗΙΟΣ · corrumpi potuit in Λ · ΚΟΚΚΗΙΟΣ ·, deinde argumento a Borghesio allato, quo demonstret traditam Appiani lectionem servandam esse, nihil certi probari mihi videtur. Inscriptio a Borghesio laudata, quae nos certiores facit duos consules fuisse L. ut M. Nervas (ex annis 39 et 36), cum id tantum probet fratrem nostri Nervae quoque consulatum gessisse, non debilitat testimonia Acronis et Commentatoris Cruquiani [4]), qui hunc pacis interpretem Nervae imperatoris proavum fuisse dicunt.

---

1) Staatsverwaltung I p. 338 sqq.
2) Staatsr. II², 549; I, 661. 3) B. C. V, 60.
4) In ed. Teubn. Livii II p. XIV. Decisione abstinuit Schiller l. l. p. 92; mecum facit Drumann.

Proavo autem Nervae imp. praenomen Marco fuisse inscriptiones testantur. Et cum duorum, quos noverat Appianus, Nervarum praenomina facile confundere posset, non video, cur Scholiastis Horatianis in hac re non plura tribuam quam Appiano. Huc alia res accedit. Appianus, postquam de Fulviae morte egit, (quae accidit anno 40) ita narrare pergit: »Λεύκιος (lege: Μάρκος) δὲ ἦν Κοκκήιος ἑκατέρῳ (Antonio et Caesari) φίλος, καὶ ὑπὸ Καίσαρος ἐς Φοινίκην τοῦ προτέρου θέρους ἀπέσταλτο πρὸς τὸν Ἀντώνιον μετὰ Καικίνα, ἐπανιόντος δὲ τοῦ Καικίνα παρ' Ἀντωνίῳ κατέμενεν. Aestate igitur anni 41 ad Antonium missus erat, quod praeterea affirmat eiusdem libri locus: (cp. 21) καὶ τάδε μὲν (sc. recessus Fulviae Luciique Antonii ad Praeneste) ἐγράφετο παρ' ἑκατέρων Ἀντωνίῳ καὶ φίλοι μετὰ τῶν γραμμάτων ἐς αὐτὸν ἐπέμποντο, οἳ διδάσκειν ἔμελλον περὶ ἑκάστων. Exeunte igitur aestate vel ineunte auctumno ad Asiam appellere potuit Nerva, ubi cum et advenerit post M. Barbatii discessum et teste Appiano [1]) remanserit usque ad sequentis anni ver, quomodo animum non subit cogitatio eum ab Antonio in Barbatii

1) B. C. V. 60. Verba παρ' Ἀντωνίῳ κατέμενεν potius dicta videntur ut maiorem vim obtineret reditus Caecinae, quam ut exprimeretur Nervam omne hoc tempus in Antonii praesentia trivisse; valent: in Oriente remansit.

locum substitutum esse provinciae, quam ille rexerat, praefectum? Et tunc intelligimus cur primum, proquaestorem propr. se nominet titulo, quo uti debuit ille, qui in absentis quaestoris locum subvenit; deinde, quomodo eiusdem plane commatis nummos cudere potuerit pro Barbatii nomine suum tantum substituens. Nervam quoque, qui et Caesaris et Antonii amicus erat, maximam operam dedisse facile credemus, ut concordiam IIIvirorum inlaesam servaret.

Hos omnes nummos in aliqua ab urbe Roma Italiaque remotiore provincia lucem primo vidisse, ipse quoque contextus rerum docere videtur. Namque in aliqua Italiae propinqua provincia cudi non potuerunt, nisi quamdiu IIIviri concordes manserunt, id est ante bellum Perusinum, quod vix fieri potuit si M. Nerva Barbatio successit. Contra, quia M. Antonius tandem initio anni 40, cum Alexandria Athenas navigaret, accurate cognovit quae a L. Antonio Fulviaque et Caesare gesta fuerant, hi nummi melius alicui Orientis provinciae conveniunt. Quod porro L. Antonii effigies nummis ita procul ab urbe cusis, impressa est, non incredibile est Barbatium et Nervam non solum ipsorum IIIvirorum sed et M. Antonii fratris, consulis, laudes celebrandas suscepisse, quo sibi favorem M. Antonii compararent. Ceterum neque L. An-

tonius in Oriente ignotus homo erat, quippe quem ex Flavio Iosepho [1]) sciamus proquaestorem prop. Asiae fuisse anno 49.

Sed alia quoque causa est cur patriam his nummis aliquam Asiae provinciam fuisse contendam. Iam supra admonitum est Galliam Cisalpinam e numero provinciarum sublatam esse post victoriam apud Philippos reportatam (exeunte anno 42). Qui igitur patriam horum nummorum quaerit in aliqua Occidentis provincia, quae M. Antonii imperio parabat, necesse est deveniat ad provincias Galliam Comatam et Galliam Narbonensem. Sed hae anno 41 jam propraetores habebant Q. Fufium Calenum et P. Ventidium Bassum. Quodsi quis mihi obiciat Nervam Barbatium Gellium ab iis, dum ipsi in Italia L. Antonio auxilium ferrent, provinciis Galliis praefici potuisse, primum ad illum Appiani de Barbatio locum provoco, deinde adicio de auxilio ab ipso Caleno Antonio lato nihil constare, tum admoneo Caesari, cum post captam Perusiam ad Gallias occupandas (ubi interim Calenus mortuus erat) profectus esset, illas provincias non a quodam propraetore sed a Caleni filio traditas esse. Reliquum igitur est, ut

1) Ant. Iud. XIV, 10. 13 et 17. cf. Waddington, Fastes Asiat. p. 63.

in provincias trans mare Ionium sitas oculos convertamus. Macedoniae praefectus erat L. Marcius Censorinus, ea igitur extra numerum est. Sed in disquisitione de provinciarum praesidibus supra instituta, duas lacunas offendimus, primam in Bithyniae, alteram in Asiae anni 41 praefectis. Equidem etsi pro certo nihil affirmaverim, tamen probabile mihi videtur a M. Antonio Barbatio, provincia Asia relicta, M. Nervam suffectum esse itemque Bithyniae cum proconsulari imperio praepositum esse L. Gellium quaestorem. Potuit sane Gellius Asiae, Barbatius Bithyniae praefectus fuisse: eam litem sub iudice relinquere libet, sed hoc persevero aureos denariosque M. Barbatii M. Nervae L. Gellii supra descriptos in Orientis aliqua provincia cusos esse.

II.

Caput M. Antonii barbati dextr., pone lituus. M · ANT · IMP · III · VIR · R · P · C ·

℞ Miles seminudus d. hastam, s. ramum laureum tenens. P · VENTIDI · PONT · IMP · (denarius).

(Cohen, Méd. Imp.² I, Ant. 75).

Eo ipso, quod M. Antonii alteram salutationem imperatoriam anno 40 accidisse accepit Borghesius, adductus etiam est, ut in multis nummis[1]) Antonium, etsi imperator iterum salutatus fuisset, imp. (I) tantum appellari contenderet. Sed quibus argumentis fretus hanc rem probat, ea nobis fere nullius momenti videntur. Exempla affert Cn. Pompeium patrem, C. Caesarem, Caesarem Divi f. Ex quibus Pompeium seniorem, qui ter triumphavit, numquam »imp." appellari, quia nummi »Cn. Magni imp." omnes ad Cn. Pompeium filium pertinent, iam pridem demonstratum est[2]). Deinde ubi Caesaris nomini titulus imp., pro »imp. II, imp. III" apponitur, is eo sensu latiore accipiendus est, quo propius ei primo fuit. Namque imperatoris nomen non antiqua pro consuetudine, qua id cum alii tum ipse quoque saepius ex bellis reportaverat, sed tanquam peculiare summi imperii cognomentum senatus ei tribuit[3]). Quia autem is titulus Caesaris cognomen evasit et senatus iusserat ut filii quoque posterique eius ita nominarentur, titulus imperatoris etiam ad Caesarem Divi f., heredem, transiit, cui omisso iterationis numero prae-

1) In cistophoris, in Ventidii, in Fontei, in Oppii, in Planci nummis.
2) Mommsen Röm. Münzw. p. 654.
3) Dio Cass. 43, 44. cf. Mommsen Staatsr. II². p. 743.

nominis loco esse coepit. Qua eadem ratione omnes postea principes usi imperatores appellati sunt.

Exemplis igitur a Borghesio allatis nihil inest, quo demonstretur hunc Antonii tempore morem fuisse, ut imperator numerum iterationis acceptum omitteret. Quodsi in uno nummo factum esse videmus, errori potius scalptoris quam voluntati eius, cuius auctoritate cusus est nummus, id tribuendum esse videtur.

Denarius autem, cuius descriptio huic capiti praefixa est, non eo tempore cusus esse mihi videtur, quo Borghesio visus est. Hic nummus ex barbaris officinis emissus et in oriente cusus est eaque de causa nomen imperatoris quoque, quod Ventidii nomini adhaeret, in iis provinciis partum est, ubi Ventidius post annum 40 bellum gerebat. Ut parumper in medio relinquatur ad utram victoriam, ad primamne de Labieno (anno 39), an ad alteram de Parthis (38) reportatam titulus imp. referendus sit, Ventidius certo imperator salutatus est, antequam Antonius ipse res Orientis ordinandas suscepit. Inde sequitur imperatorium nomen duci, quamquam non suis auspiciis rem gerenti, oblatum, hoc tempore permissu eius non egere, penes quem auspicia belli sint. Itaque ob primam de Labieno relatam victoriam Ventidium imperatorem salutatum esse aequo iure contendi potest ac per alte-

ram; primam autem victoriam talem fuisse [1]), propter quam milites ducem suum eo honore ornaverint, docet fragmentum Fastorum triumphalium: P · VENTIDIVS · P · F · PRO · COS · EX · TAVRO · MONTE · ET · DE · PARTHEIS ·, secundum quod tam propter primam de Labieno in Tauro monte quam propter alteram de Pacoro relatam victoriam triumphum egit. Quod si Ventidius per ultimam demum victoriam imperator salutatus est, iure admirari licet cur post primam illam maximi momenti victoriam hic ei honor negatus sit, propter alteram impertitus. Quam ob rem nihil impedire videtur quominus adseveremus hoc quoque in nummo Antonium vere imperatorem (I) appellari, impugnemus eam sententiam, quae reapse imp. III eum fuisse probat. (cf. dissert. pag. 15 sq.)

Hos igitur Ventidius denarios per quaestorem suum flandos curavit tempore interiacente inter duas victorias (ex medio an. 39 — med. an. 38) [2]). Cui rei unum repugnare videtur, quod Antonius barbam eo tempore promisit teste denario nostro. Quae si propter foedus cum Sex. Pompeio (quod tam ad Antonium

1) Dio quidem auctor est Ventidio propter hanc victoriam nihil decretum esse, sed appellatio a militibus dabatur, non a senatu decernebatur.

2) Etsi non apparet quibus argumentis adductus, iam Paully (Real. Encyclop. s. v. Ventidius p. 2446 annot.) idem affirmavit.

quam ad Caesarem pertinebat) ruptum potius quam propter Caesaris res adversas (quae ad illum tantum spectabant) promissa est, tamen priore anni 38 parte Ventidius hos nummos signare potuit.

Ceterum hic denarius argumentationem nostram stabilire videtur, qua Antonio (anno 38) post Ventidii de Pacoro victoriam salutationem alteram oblatam esse probavimus. Quia enim antiquitus traditum erat uno bello eundem ducem non plus semel imperatorem appellari, id saltem in novo [1]) huius tituli usu servatum est, ut propter eandem victoriam non duo viri simul imperatores salutarentur. Ventidius igitur si prima victoria imperatorium nomen meritus est, Antonius necessario propter alteram imperator factus est.

III.

1. Capita iugata Antonii et Octaviae dextr. M · ANT · IMP · COS · DES · ITER · ET · TER ·

℞. Navis velata d. . . . . . FONTEIVS · CAPITO · PRO · PR ·

2. Eadem capita. C · FONTEIVS · CAPITO · PRO · PR ·

---

1) Ideo novus, quia antea non nisi illi, qui *suis auspiciis* feliciter rem gesserat, tribuebatur.

℞. Navis velata d. M · ANT · IMP · COS · DES · ITER · ET · TER · III · VIR · R · P · C ·

(Cohen Méd. Imp² I. pag. 54. 55.)

Facilius dictu est quo tempore hi C. Fontei nummi cusi sint, quam ubi locorum. Nam ex iis, quae de M. Antonio imp. iam dicta sunt, efficitur eos signatos esse post foedus cum Sex. Pompeio circa Misenum ictum, antequam vero de Pacoro Ventidius victoriam reportavit. Qua de causa in serie nummorum locus iis adsignandus est in posteriore anni 39, priore anni 38 parte; eodem igitur tempore C. Fonteius Capito alicui M. Antonii provinciae praefuit. Quaenam ea provincia fuerit, prima specie difficile dictu videtur omnibus scriptoribus et lapidibus de Fonteio propraetore tacentibus. Attamen aliqua veritatis specie contendi potest Macedoniam et Achaiam fuisse provinciam, quam proconsulari imperio regens Fonteius hos nummos percussit. Testimoniis scriptorum nisi supra demonstravimus omnium M. Antonii provinciarum huius temporis praesides nobis notos esse duabus provinciis exceptis Macedonia cum Achaia et Creta cum Cyrenaica. Ex quibus Macedoniam potius quam Cretam Fonteio provinciam esse datam inde effici videtur, quod nummis ab eo signatis similitudo quae-

dam moduli et operis est cum iis, quos postea (32) C. Sosius Zacynthi cudit, deinde quod eo tempore, cum Fonteius imagines Antonii et Octaviae iunctas aeri suo impressit, hi *Athenis* morabantur, quorum ipsa praesentia fortasse Fonteius adductus est ut capita Antonii et Octaviae eligeret pro solita Iani bifrontis imagine. Hoc quoque coniecturam nostram stabilire videtur, quod auctore Horatio Fonteius foederi Tarenti facto interfuit. Quam facile enim, si ille prop. provinciae Macedoniae et Achaiae fuit, ab Antonio Athenis in Italiam profecturo comitibus suis addi potuerit, id neminem fugit. Veri simile igitur est hunc Fonteium, qui »Antoni non ut magis alter amicus" erat, C. Marcio Censorino, ad consulatum gerendum exeunte anno 40 Romam profecto, successisse in regenda Macedonia et Achaia, quam provinciam deinde remiserit ineunte vere anni 37 cum Antonium in Italiam comitaretur. Statim post pacem factam cum Antonio in Orientem festinavit, a quo ad Cleopatram arcessendam in Aegyptum missus est. Haec omnia sunt, quae de C. Fonteio vel ex scriptoribus afferri, vel de coniectura constitui possunt. Fueritne is etiam praefectus classis, in incerto est et semper erit, nisi auxilium ex lapidibus vel aliis auctoribus subveniat.

IIII.

1. Capita iugata Antonii et Caesaris Divi f. dextr., opposita capiti sinistr. Octaviae. (Litterae evanuerunt).

℞. Tres naves d. velificantes (subter· Γ, triquetra) (M ·) OPP (IVS · CAPITO ·) PRO · PR · PRAEF · (CLAS · F · C ·) Æ $8^1/_2$: 31 gr. cf. Momms.-Blac. tab. 33. 4.

2. Capita opposita Antonii dextr. et Octaviae sin. ..... ER · III · VIR · R · P · C ·

℞. Duae naves dextr. velificantes, subter B, in area pilei Dioscurorum. .... PRAEF · CLAS · F · C · Æ 8.: 21^5; Æ 8: 20^{46} gr. M. Blac. tab. 33. 5.

3. Capita opposita Antonii dextr. et Octaviae sin. M · ANT · IMP · ITER · COS · DES · TER · ET · TER · III · VIR · R · P · C ·

℞. Duae figurae in quadrigis hippocamporum dextr. Eadem epigraphe. (In area HS · Δ · ara ignita, evanuerunt) Æ $8^1/_2$: 12^{95}. gr.

4. Capita iugata dextr. Antonii et Octaviae M · ANT · IMP · TER · COS · DES · ITER · ET · TER · III · VIR · R · P · C ·

℞. Navis d. velificans, subter A et caput Medusae .... CLAS ... Æ 3: 3^{09} gr. cf. M. Blac. tab 33, 6.

5. Capita iugata Antonii et Caesaris Divi f. dextr., opposita capiti sinistr. Octaviae. M · AN · IMP · TER · (COS · DESIG · ITER · ET ·) TERT · III · VIR · R · P · C ·

℞. *Tres* naves dextr. velificantes. Subter Γ et caput Medusae in media triquetra. L · ATRATINVS · AVGVR · COS · DESIG · Æ 9: 19^{24} gr.; Æ 10: 12^{83} gr. detritus.

6. Capita opposita Antonii dextr. et Octaviae sin. Litterae evanuerunt.

℞. *Duae* naves d. velificantes, in area pilei Dioscurorum. L · ATR ..... Æ $6^1/_2$: 10^{20} gr.

7. Capita iugata Antonii et Octaviae dextr. Litterae evanuerunt.

℞ Navis d. velificans, subter A et caput Medusae. L · ATRATINVS · AVGVR · COS · DESIG · Æ $4^1/_2$: 5^{55} gr.

Hos omnes nummos inspexi apud virum doctiss. J. P. Six; reliqui delineati sunt apud Coh. Méd. Imp². I. pag. 53—56.

Nummi a M. Antonii praefectis classis signati summi quidem sunt momenti ad rei nummariae historiam supplendam, magnas vero difficultates habent. Etsi non ego is sum, qui me eas sublaturum esse putem, tamen quae de iis sentio hic expromere mihi liceat;

gaudebo si aliquid fortasse dixero cognitione dignum rectamque viam aliis monstraturum Equidem existimo omnes supra descriptos nummos in provincia Cilicia cusos esse; eorum auctores fuisse M. Oppium Capitonem propraetorem provinciae Ciliciae praef. clas., et L. Sempronium Atratinum augurem praef. clas.; tempus denique, ubi in serie nummorum locus iis adsignetur, ultimam anni 36 partem esse et priorem insequentis anni.

Quam sententiam ut probem, primum opus erit monere in omnibus nummis excepto uno, de quo supra diximus (pag. 64), mentionem fieri tertiae salutationis imperatoriae et designationis ad alterum consulatum; cum ille honor exeunte anno 36 IIIviro contigerit, alter consulatus Kal. Ian. 34 ineundus fuerit, perspicuum est quo tempore hi nummi cusi sint. Magis dubitatur de locis, ubi sint signati: sunt qui in Sicilia et Panormi eos cusos esse arbitrentur. Quae opinio cum nulla alia re niti videtur, quam symbolis, quae his nummis impressa sunt, pauca dicenda sunt de re, quae sola causa esse potuit cur in Sicilia, Caesaris provincia, ab Antonii praefectis pecunia signaretur: classem dico, quam M. Antonius Caesari commodavit.

Cum Sex. Pompeius post pactum Misenense rursus latrociniis mare infestum redderet nec pacem, quam

acceperat, praestaret, Antonius a collega, ut auxilium ferret, rogatus cum classe trecentarum navium Tarenti appulit (vere 37). Foedere ibi non minime conciliante Octavia icto sanxerunt, ut Antonius a Caesare viginti milia militum mutua sumeret, Caesari ipse centum et viginti naves commodaret [1]. Haec classis praefecto T. Statilio Tauro Tarenti stationem cepit. Anno 37 Caesaris classem Sex. Pompeio bellum inlaturam gravissime afflixerunt tempestates, quas Taurus, tempori Tarentum reversus, effugit; cum ea de causa bellum non ante aestatem anni 36 geri coeptum esset, vario primum eventu pugnatum est, sed tandem a. d. III Non Sept. ad Naulochum a M. Vipsanio Agrippa Sex Pompeii classis fusa fugataque est. Tunc Sicilia recuperata Antonianae naves, quibus per omne illud tempus Taurus praefuerat, rursus Tarentum remissae sunt: quod accidit ante Caesaris ovationem habitam Id. Nov. eiusdem anni. Ineunte anno 35 classis Antoniana Tarento in Orientem revertit [2], ubi dimidio fere minor (Antonius dederat 130 naves, 70 tantum sospites redierunt) Titii et Furnii praefectorum navibus addita est ad Sex. Pompeium debellandum.

---

1) App. B. C. V. 95, 98.

2) Simul patet denarios exhibentes tropaeum, cuius pedi prora navis adiecta est, cusos esse anno 35 (cf. supra pag. 22.).

Re autem prospere gesta Caesar, postquam Id. Nov. ovans urbem ingressus est. de rebus Parthicis et de Antonii tertia salutatione ibi certior factus est[1]. Quam ob rem in Sicilia unus tantum horum nummorum in quo triquetra et Antonii titulus »imp." [2]) inveniuntur, non nisi exiguo illo temporis spatio cusus esse potest, quod fuit inter proelium Naulochense et discessum ad urbem Tarentum: reliqui vero, qui ad unum omnes Antonii titulos imp. III. cos. des. II. et III. iungunt, in Sicilia signati non sunt, quia naves Antonii eo tempore iam a Sicilia profectae erant, quo Antonii tertia salutatio ibi innotuit.

Factum iam esse potest, ut M. Oppius, propr. alicuius de Antonii provinciis, missus sit qui naves reduceret, — potest etiam, ut eius nummi brevissimo illo temporis spatio cusi sint, quo in Italiae meridionalis littore moratus sit, (ipse cum Atratino classi non praefuerat cui Caesar Taurum praefecerat) — sed veritati nulla vi adhibita potius ibi cusos esse concedamus, quo signa nummis impressa spectare videntur: *in Pisidia.*

1) Dio Cass. 49, 32.

2) Si omnino iterationis numerus (III) in delineamento Coheniano (pag. 56) errore non omissus est, vix aliter fieri potest quam ut numerus a scalptore sit neglectus, nam tressis Atratini, cusus Antonio imperatore III, ex omni parte similis est tressis Oppiani.

Triquetra [1]) enim frequentissime in Aspendi nummis invenitur, talus [2]) (astragalus) et Medusae caput [3]) nummis Selgae cusis insunt, Dioscuri [4]) denique, quorum pilei in Atratini et Oppii nummis occurrunt, in nummis Sagalassi conspiciuntur, et ne hippocamporum quadrigae quidem ab hac Asiae parte alienae esse videntur.

Revera autem Appianus classem commemorat [5]), quam M. Titius iussu Antonii ex Syria accivit, ut eius opera Sex. Pompei conatus reprimeret. Huic classi navibus, quas Caesar remiserat, auctae Furnius et Titius vere anni 35 praeerant.

Oppius vero, cui in omnibus nummis tituli propr. praef. cl. tribuuntur, aeque ac C. Fonteius Capito alicui de M. Antonii provinciis praefuit. Quodsi quis dubitet, annon proconsulare imperium ad ipsam classis praefecturam pertinuerit, satis est attulisse titulos Atratini Bibuli aliorum, qui praefecti clas. tantum appellantur, et inscriptionis commemorasse servatae in C. I. L. III. 455: CIVES · QVI · MYTILENIS · NEGOCIANTVR · M · TITIO · M · F · PRO · COS · PRAEF · CL · COS · DESIG · PATRONO · HONORIS · CAVSA ·. M. Titius igitur, quem proconsulem provin-

1) Revue Numism. 1853. p. 21; v. Sallet's Zeitschr. 1877. p. 297.
2) Revue Numism 1853. p. 46; v. Sall.'s Zeitschr. 1878. p. 132.
3) Revue Numism. 1853. tab. II, 6. 7; v. S.'s Zeitschr, 1878. p. 135.
4) Revue Numism. 1853. p. 44.
5) B. C. V. 134. 139.

ciae Asiae fuisse notum est, idem praefectus classis, ut Oppius noster, fuit.

Quibus omnibus de causis non sine aliqua veritatis specie haec contendi videntur, M. Oppium Capitonem ei Ciliciae parti, quam antea Antonius Cleopatrae non largitus erat, i. e. Pisidiae, propraetorem fuisse, et classi, cui in mari Pisidiam alluenti egregia statio erat, una cum L. Sempronio Atratino praefuisse.

V.

1. Caput M. Antonii dextr. nudum imberbe. ANTON· AVG · IMP · III COS · DES · III · III · VIR · R · P · C ·

℞ Epigraphe duobus lineis per aream disposita: M · SILANVS · AVG · PRO · COS · (denarius).

2. Idem caput. ANTON · AVG · IMP · III · COS · DES · III · III · VIR · R · P · C ·

℞ Epigraphe duobus lineis per aream disposita: ANTONIVS · AVG · IMP · III · (denarius).

(Coh. Méd. Imp.[2] I Ant. 71, 2. — In hac disquisitione eorum tantum nummorum rationem habui, qui ut certae fidei circumferuntur. Itaque omisi Morellianos, quorum epigraphas Cohen collegit Méd. Cons. p. 33.)

Hos denarios arctiore quodam vinculo quam solo temporis connexos esse, species eorum simillima arguere videtur; qua de causa eos simul in quaestionem vocabimus, huius similitudinis causam, quantum poterit, quaesituri. Atque primum quidem ex iis, quae supra diximus, satis apparet utrumque denarium assignandum esse annis 33 vel 32, quoniam Antonius cos. des. III fuit post consulatus secundi, ante consulatus tertii annum. Deinde, si de loco quaerimus ubi malleum monetalem experti sint, haud scio an probabile sit eos ex una eademque officina prodiisse, eum autem denarium, quem secundo loco posui, cusum esse post alterum. Haec iure hinc colligere mihi videor: postquam Antonius bellum adversus Caesarem parans Patras ad hiemandum se contulit (sub. fin. anni 32), complures eorum, qui ad id tempus eius rebus faverant, Patris eum deseruerunt, inter quos M. Silanum nostrum fuisse ex Plutarcho [1]) constat; id autem factum esse debet posteriore anni 32 parte. Conicio equidem post Silani discessum Antonium hos denarios cudere non intermisisse, sed eiusdem commatis signandos curasse suo tantum pro Silani nomine posito. Quia id autem praesens facere debuit, etiam statuere audeo ab ipso

1) Plut. in vit. Ant. c. 59.

Antonio provinciam, cui proconsulari imperio M. Silanum quaestorem praefecisset, regendam susceptam esse eamque fuisse Macedoniam et Achaiam, in qua tempore proditionis Silani Antonius versabatur. Si haec vera sunt, denarius, quem primo loco descripsi, cusus est priore parte anni 32 vel iam anno 33, quem secundo loco posui, posteriore parte anni 32 in provincia Macedonia et Achaia signatus est.

VI.

Caput Antonii nudum imberbe dextr. M · ANTONIVS M · F · M · N · AVGVR · IMP · TER ·

℞ Caput Octaviae dextr. COS · DESIGN · ITER · ET · TER · III · VIR · R · P · C · (aureus).

(Cohen Méd. Imp.[2] I pag. 52, 1; v. Sall. Zeitschr. 1875. p. 288).

Alterum argumentum, quo Friedländer [1]) adducitur ut imaginem muliebrem huic aureo impressam Octaviae esse neget, ex temporibus Octaviae et Antonii petit: non veri simile esse uxoris Antonii imaginem in

1) v. Sall. Zeitschr. 1875 p. 289; cf. supra pag. 40. Trésor de Numism. et de Glypt.: iconogr. des Emp. Rom. pl. II, n°. 12, 13.

huius nummis conspici, cusis anno 35, quo tempore ille totus amori Cleopatrae deditus esset et ipsam Octaviam Athenis Romam remiserit. Sed quibus tandem de causis hanc rem fieri potuisse negabimus? Num omnes nummi, M. Antonii imaginem aut nomen exhibentes, ab ipso IIIviro vel per ipsum cusi sunt? Si ita res sese haberet, primus omnium ego hanc imaginem Octaviae abiudicandam esse censerem. Sed et a provinciarum praesidibus classiumque praefectis Octaviae vultus nummis vulgati sunt. Illi enim, qui concordiam IIIvirorum non rumpi fortasse cupiebant, Octaviam Antonio suis nummis adiunxerunt, tamquam pacis et concordiae pignus esset.

Quia Octavia hoc anno Athenas venit ut Antonium conveniret eumque militibus vestimentis donis pecunia adiuvaret, et etiam post litteras ab Antonio acceptas ibi remorata est [1]), incredibile mihi non videtur aureum, cuius descriptio huic capiti praefixa est, Athenis esse cusum. Huic enim urbi tam propter summam pulchritudinem et artem, quam ostendit aureus noster, quam propter singularem amorem, quo Octaviam Athenienses semper amplexi sunt [2]), optime convenire videtur. In uno quidem exemplari littera E

1) Plut. in vit. Ant. 53. 54; App. V. 138; Dio. C. 49, 33.
2) Plut. in vit. Ant. 59.

hanc formam: || praebet; quae res etiamsi Campanum vel Apulum aurei nostri scalptorem fuisse demonstret, tamen ut patriam horum nummorum Campaniam vel Apuliam dicamus, minime cogit [1]): potest ut unus ex grege monetariorum natione Italus fuerit.

---

1) Cavedonius in annotatione ad Borghesi Opere II. p. 91.

APPENDIX I.

Summa benevolentia mihi concessit Vir Doctissimus J. P. Six ut iis, quae de nummis praefectorum Antonii dixi, pondera horum nummorum sub uno conspectu a se posita adderem. Quo facto operam non perdiderimus: multum enim abest, ut Catalogus Cohenianus omnia, quae huc spectant, complectatur. Eadem benevolentia Vir Doctissimus permisit, ut in lucem ederem, quae ex his ponderibus a se collecta mecum communicare voluit.

Si iis nummis, quos e collectione Sixiana iam descripsimus, semissem Bibuli (caput dextr. Antonii; litterae evanuerunt. ℞ L · BIBVLVS · M · F · PRAEF · CL · F · C · Dimidia navis dextr.; supra: s(emis) Æ 4. 3^{14} gr.) ex eiusdem viri thesauro addiderimus, et huic nummos apud Cavedonium (Numism. bibl. p. 120 sqq.) et apud Mommsen-Blacas (III. 34, IV. 77. sq.) descriptos adiecerimus, hic conspectus nascitur:

ATRATINUS.

(As			14^{2} gr.	as	semuncialis).
1 sestertius (quadrussis)	Δ	ara	22^{38} (attritus); 14^{81}	»	$\frac{1}{4}$ unciae.
2 tressis	Γ	caput Medusae in media triquetra	19^{24}; 12^{83}	»	» »
3 dupondius	B	pilei Dioscurorum	10^{2}	»	» »
4 as	A	caput Medusae	9^{2}; 5^{55}; 4^{5}; 3^{5}	»	$\frac{1}{2}$ (?), $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$ »

OPPIUS.

1 sestertius	Δ	ara	12^{95}	as	$\frac{1}{8}$ unciae.
2 tressis	Γ	caput Medusae in media triquetra	31; 23^{26}; 21^{39}	»	$\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$ »
3 dupondius	B	pilei Dioscurorum	21^{9}; 20^{46}; 18; 17^{36}; 15^{40}; 14^{425}; 7^{32}	»	$\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$ »
4 as	A	caput Medusae	5^{8}; 3^{62}; 3^{27}; 3^{095}	»	$\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$ »
5 semis	S		3^{05}	»	$\frac{1}{4}$ »
6 sextans	••				

BIBULUS.

1 semis	S		4^{23}; 3^{14}	as	$\frac{1}{4}$ unciae.
2 sextans	••		4^{23}	»	» »

Assem [1]) igitur semuncialem in assem quartae (octavae) partis unciae hoc modo decrevisse videmus:

SESTERTIUS.	TRESSIS.	DUPONDIUS.	AS.	SEMIS.	SEXTANS.	
54^{4}	40^{8} (Oppius)	27^{2} (Oppius)	13^{6} (Atrat?)	6^{30}	2^{3} (Bibul. Opp.?)	as semuncialis
27^{2} (Atrat.)	20^{4} (Atrat.)	13^{6} (Atr. Opp.)	6^{30} (Atr. Opp.)	3^{40} (Bibul. Opp.)	1^{13}	as $\frac{1}{4}$ unciae
13^{6} (Oppius)	10^{2}	6^{30}	3^{40} (Atr. Opp.)	1^{70}	0^{36}	as $\frac{1}{8}$ unciae

Ergo ex ponderum comparatione non solum, sed etiam ex quaestione de stilo forma crassitudine cuiusque nummi instituta, effici videtur ab Antonii praefectis tres omnino nummorum series esse editas, diversas et pondere et stilo. Prima complectitur tressem et dupondium Oppii et assem Atratini (?); secunda plerosque Atratini nummos, dupondium assem et semissem Oppii et semissem Bibuli; tertia denique sestertium et assem Oppii et assem Atratini.

Nam semis Bibuli eiusdem magnitudinis est atque as Atratini, sed multo maior quam Oppii as, in quo capita quoque minora circuitu sunt.

---

1) As uncialis = 27^{2} gr.

Tressis et dupondius Oppii aeque magni quidem sunt, sed ille dimidio crassior est quam hic; pertinent igitur ad unam emissionem.

Tressis et dupondius Atratini maiores sunt quam praecedentes, sed multo tenuiores; quamobrem diverso tempore editi videntur.

Quadrussis denique Oppii minor nec tamen crassior est quam tressis Atratini; eiusdem igitur emissionis esse non possunt.

In assibus Sex. Pompei simile quoddam animadvertitur. Eorum pondera sunt: *25^{99}*, *25^{98}*, 24^{95}, 24^{39}, *23^{85}*, 23^{70}, 23^{27}, 23^{16}, 23^{0}, 22^{66}, 22^{19}, *21^{85}*, *21^{62}*, *20^{30}*, *18^{15}*, **18^{07}**, 17^{9}, *16^{95}*, **15^{69}**, 14^{57}, **12^{58}**. Plerique maxime attriti sunt, pondera eorum qui in meliore statu sunt, litteris cursivis, eorum, qui optime conservati, litteris crassioribus indicata sunt. Patet igitur multo diutius in usu versatos esse graviores, quam leviores Pompei asses; itaque Pompeius primum asses unciales edidit, postea asses usque ad semunciam imminutos signavit.

APPE

Conspectus eorum, quos M. Antonius suis

Gallia comata.	Gallia Narbon.	Gallia Cisalp.	Ill. et Dalm.	Maced. Achaia.
L. Munat. Planc. (Lugdunensis) } 44. A. Hirtius. (Belgica) } L. Mun. Planc. (comata) } 43. Praefecti a M. Ant.: L. Varius Cotyla (fin. 43—med. 42). P. Ventid. Bassus Q. Fufius Calenus. Post pactum Philippense Ventidius et Calenus has provincias ita diviserunt, ut Ventidius Narbonensem, Calenus Comatam obtineret (?) Post bellum Perusinum (initio 40) a Caesare Divi f. occupatae.	M Aemilius Lepidus, (44. 43. 42.) usque ad pactum Philippense. — post victoriam Philippensem Antonio concessa.	D. Junius Brutus 44. 43. (Bellum Mutinense) — post institutum IIIviratum Antonio concessa. Praefectus: C. Asinius Pollio (ab exeunte anno 43 usque ad fin. 42). — Post victoriam Philippensem libera remissa et Italiae adiuncta.	Cum pacto Brundusino constitutum esset, ut Antonii et Caesaris imperium distingueretur linea per Scodram ducta, sequitur Dalmatiam Caesari concessam esse. Dubitatur tamen an haec provincia inter eas numeranda sit, quae pacto Philippensi Antonio assignatae sunt. Pro Antonio in Illyrico bellum gessit cum Parthinis C. Asinius Pollio, (40. 39) sed Asinius legatus potius fuisse videtur quam praefectus.	Exeunte anno 4 Antonius in Asia profectus praefecit L. Marcium Ce sorinum (42—fi 40). anno 35: ὁ τῆς Μακεδονία ἡγούμενος Ἀντω νίῳ. (App. V. 138).

)IX II.

ovinciis praeposuit vel praeposuisse videtur.

Cyren. et Creta.	Asia.	Bith. Pontus.	Syria.	Cilicia, Cyprus.
			S. fin. 41. L. Decidius Saxa. — a vere 40 usque ad med. 39. (Parthi et Labienus) — Sub. fin. 40 — med. 38. P. Ventidius Bassus.	
	S. fin. 40—36. L. Munatius Plancus. — per annos 36. 35. C. Furnius. — 35—med. 32. M. Titius.	S. fin. 40—fin. 33. Cn. Domitius Ahenobarbus. —	victoria apud Amanum montem relata Parthi e Syriae finibus expelluntur.	victoria apud Taurum montem relata Parthi e Ciliciae finibus expelluntur.
Cretam verisimiliter Cleopatrae dedit exitu 37 vel initio anni 36. Cyrenaicam Cleopatrae filiae suae concessit sub. fin. 34.			— med. 38 Antonius ipse. — 38—36 (35) C. Sosius. —	
			exitu 37 vel init. 36 partim Cleopatrae datur. — 36 (35)—34. L. Plancus. —	exitu 37 vel init. 36 Cleopatrae largitur magnam Ciliciae partem et Cyprum. —
			anno 34. Syria dividitur inter Ptolemaeum f. et Cleopatram uxorem. — 33—32 (31) L. Calpurnius Bibulus (?) 31. Q. Didius, legatus Caesaris.	anno 34. Ptolemaeo filio suo dedit Ciliciam et Phoenicen; Cleopatrae uxori Cyprum. — (Demetrius, quem Dio (48. 40) tradit ab Antonio Cypro προστεταγμένον fuisse, non praefectus fuisse videtur.)

APPENDIX III.

NUMMORUM ANTONII SECUNDUM TEMPORA DISPOSITORUM CONSPECTUS.

Tituli M. Antonii.	Eorum, qui Romae, in Italia, in adiacentibus regionibus cusi sunt.	Eorum, qui in Orientis provinciis et Aegypto cusi sunt.	Tempora M. Antonii.
44. (AVG · COS ·). exeunte anno 44 vel incipiente 43. IMP · AVG. ex a. d. v. Kal. Dec.: IMP · AVG · III · VIR · R · P · C ·	Denarius Sepullianus [1]) (Coh. Méd. Imp.^{2} I Ant. n°. 74.) Denarius CAES · DIC · ℞ M · ANTON · IMP · lituus. [2]) (Coh. ib. pag.20.) Denarii quinarii ab Antonio Lepidoque coniunctim signati [3]) (Coh.ib.p.34.) Denarius CAES · DIC · ℞ M · ANTON · IMP · R · P · C · [4]) (Coh. p. 20.)		Bellum Mutinense, quo confecto Antonius ad Lepidum in Galliam confugit. a. d. v. Kal. Dec. triumviratus constituitur.
42. IMP · AVG · III · VIR · R · P · C ·	Aurei Mussidiani (Coh. Ant. 20, 21.), Vibiani (v. Sallet Zeitschr. 1878 p. 236.), Livineiani (Coh. 25.), Clodiani (Coh. 72. 73.). [5])		Antonius Romae versatur. Bello Philippensi confecto medio anno, in Asiam proficiscitur mense Oct.
41. IMP · AVG · III · VIR · R · P · C ·	Aureus et denarius quibus PIETAS · COS · impressa. [6]) (Coh. Ant. 76-79.) Quinarii Lugdunenses. [10]) (Coh. Méd. Imp.^{2} I. p. 51.)	aureus et denarius M. Barbatii [7]). (Coh. pag. 49. 7). denarius M. Nervae. [8]) (ib. 6). denarius L. Gellii. [9]) (pag. 50. 8).	Ant. in Asia versatur. Aestate in Phoenica est. auctumno in Aegyptum se confert.
40. IMP · AVG · III · VIR · R · P · C ·	Aureus et denarius Cn. Aenobarbi. [11]) Coh. Ant. 9.) Quinarius Concordiae caput exhibens (?) (Coh. Ant. 67.) As Atratini auguris [13]) (Coh. Ant. 3.)	denarii a L. Planco cusi [12]) (Coh. Imp.^{2} Ant. 22—24).	*vere*: in Italiam proficiscitur; media aestate Athenis Fulviam convenit. *auctumno*: post Fulviae mortem foedusBrundusinum,quo facto ovans urbem introit et Octaviam uxorem ducit (m. Octobr.). Romae versatur.
39. IMP · AVG · III · VIR · R · P · C · ex initio aestatis: IMP · AVG · COS · DES · II · ET · III · III · VIR · R · P · C.		Cistophori [14]) (Coh. Mèd. Imp.^{2} I. p. 52. 53.) Denarius Ventidii. [16]) (Coh. Ant. 75).	ineunte aestate: pactum cum Sex. Pompeio apud Misenum. Paulo post una cum Octavia Athenas proficiscitur. aestate: prima Ventidii victoria. Athenis cum Octavia hiemat.
38. IMP · AVG · COS · DES · II · ET · III · III · VIR · R · P · C · ex a. d. v. Id. Iun.: IMP · II · AVG · COS · DES · II · ET · III · III · VIR · R · P · C ·		Sestertii (?) a C. Fonteio cusi. [15]) (Coh. pag. 54. 55.)	*vere*: a Caesare arcessitus eum non convenit et Athenas revertitur. a. d. v. Id. Iun. altera Ventidii victoria. Post hanc ipse bello suscepto Antiochum Samosatae oppugnat. Sub finem anni: Athenas redit.
37. IMP · II · AVG · COS · DES · II · ET · III · III · VIR · R · P · C ·		aureus ANT · IMP · ITER · cet. (Coh. Méd. Imp.^{2} I. Ant. 15).	vere: foedus Tarentinum. Statim post ad bellum gerendum profectus Octavia Corcyrae relicta cum Cleopatra iterum se iungit.
36. IMP · II · AVG · COS · DES · II · ET · III · III · VIR · R · P · C · inde ab aestate huius anni: IMP · III · AVG · COS · DES · II · ET · III · III · VIR · R · P · C ·		nummi aenei Oppii Cap. [17]) (Coh. Imp.^{2} I. p. 55., 11—13. p. 56, 1.) aureus capita Ant. & Oct. exhibens. [19]) (Coh. Imp.^{2} I. p. 52, n°. 1.)	expeditio adversus Parthos ex ineunte vere usque ad finem auctumni. Hiemem Octavia Athenis degit
35. IMP · III · AVG · COS · DES · II · ET · III · III · VIR · R · P · C ·		denarii quis tropaeum incusum. [20]) (Coh. Ant. 16—19.) denarii caput radiatum Orientis ostendens. (Coh. ib. 13.) nummi aenei Atratini auguris cos. des. [18]) Coh. Imp.^{2} I. p. 53, 4—8.)	Antonius bellum animo volvens a Cleopatra retinetur.
34. IMP · III · AVG · COS · II · (COS ·) DES · III · III · VIR · R · P · C ·		Denarius ANTONI · ARMENIA · DEVICTA · (Coh. Méd. Imp.^{2} I. p. 57.) aureus Antonii et Antylli [21]) (Coh. Méd. Imp.^{2} I. p. 58 n°. 2.)	vere: expeditio in Armeniam. Triumphum Alexandriae agit.
33. IMP · III · AVG · COS · DES · III · III · VIR · R · P · C ·		Denarius M · SILANVS · AVG · Q · PROCOS · [23]) (Coh. Imp.^{2} I. Ant. 71.) aureus Antonii et Antylli. [22]) Coh. Méd. Imp.^{2} I. p. 53. n°. 1.	Altera expeditio adversus Parthos. Sami hiemat.
82. IMP · III · AVG · COS · DES · III · III · VIR · R · P · C ·		Denarius M · ANTONIVS · IMP · III · [24]) Coh. Imp.^{2} I. Ant. 2.	Repudium Octaviae missum. Athenis versatur et hiemem degit Patris.
31. IMP · IIII · AVG · COS · III · III · VIR · R · P · C ·		Denarius L. Scarpi [25]) (Coh. Méd. Imp.^{2} Ant. 1.) " " " [26]) (" " " " 80.) " D. Tur. [27]) (" " " " 11.) " Antonii [28]) (" " " " 81.)	Pugna Actiaca a. d. IV. Non. Sept.

1) cf. von Sallet's Numism. Zeitschr. 1877 p. 132. 2) cf. ibid. 1875 p. 67. 3) cf. dissertationis pag. 27 sqq. 4) titulus IIIviri omissus est eadem ratione, qua in denario IIIIvir (Coh. Méd. Imp.^{2} I. p. 9 n°. 8) appellatur: ‚Cossutius a. a. a. f. f." 5) cf. dissert. pag 29 sqq. 6) cf. v. Sall. Zeitschr. 1878 pag. 240 annotat. 7), 8), 9) cf. dissert. pag. 54 sqq. 10) cf. dissert. pag. 40 sqq. 11) cf. Borghesi Opere II p. 50. 12) cf. Bürcklein Quellen u. Chronol. der R. P. Feldzüge p. 57. 13) eo loco hi nummi sunt collocandi propter titulum Atratini „auguris" (C. I. L. I p. 168), et Antonii „imp.", nondum „cos. des. II et III". 14) cf. dissert. pag. 45. 15) cf. dissert. pag. 66 sqq. 16) cf. dissert. pag 62 sqq. 17) cf. dissert. pag. 69 sqq. 18) cf. dissert. pag. 69 sqq. 19) cf. dissert. pag. 77 sq. 20) cf. dissert. pag. 22 cf. pag. 72 annot. 2. 21), 22) cf v. Sallet's Zeitschr. 1875 p. 289. 23), 24) cf. dissert. pag. 75 sq. 25) cf. dissert. pag. 22 sq. et Borgh. Opere II, 402. 26), 27). 28) cf. dissert. pag. 22 sq.

THESES.

I.

Imperatoris titulum dare militum tantum, non senatus erat.

II.

Mussidius Livineius Clodius Vibius quattuorviri monetae praepositi fuerunt anno 42 a. c. n., aut saltem per duos continuos annos 43, 42.

III.

C. Iulius Caesar anno 42 a. c. n. Divus factus est.

IV.

Inde, quod L. Salvius Otho (cos. 52 p. c. n.) appellatur etiam L. Salvidienus Rufus Salvianus, perperam collegit Borghesius (Op. I, p. 111) Q. Salvium imp. cos. des., qui denarios (Coh. Méd. Imp.[2] I p. 139.) cudit, eundem esse ac Q. Salvidienus Rufus, Caesaris Divi f. legatus.

V.

Thucyd. I, 71. Βουλομένων δ'ὑμῶν προθύμων εἶναι μ ε ν ο ῦ μ ε ν.

Legendum videtur: ἐμ μενοῦμεν.

VI.

Thucyd. I, 121. 5. χρήματα δ'ὥστ' ἔχειν ἐς αὐτά, οἴσομεν· ἢ δεινὸν ἂν εἴη εἰ οἱ μὲν κτέ.

Corrigendum est: ἦ δεινὸν ἂν εἴη.

VII.

Thucyd. III, 46. σκέψασθε γὰρ ὅτι νῦν μέν, ἥν τις καὶ ἀποστᾶσα πόλις γνῷ μ ὴ περιεσομένη, ἔλθοι ἂν ἐς ξύμβασιν δυνατὴ οὖσα ἔτι τὴν δαπάνην ἀποδοῦναι.

Sententia requirere videtur: γνῷ ὅ μ ω ς περιεσομένη.

VIII.

Thucyd. IV, 95. *παραστῇ δὲ μηδενὶ ὑμῶν ὡς ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ οὐ προσῆκον τοσόνδε κίνδυνον ἀναρριπτοῦμεν.*

Malim: *οὐ προσηκόντως τοσόνδε.*

IX.

ibid. *καὶ ἐὰν νικήσωμεν, οὐ μή ποτε ὑμῖν Πελοποννήσιοι ἐς τὴν χώραν ἄνευ τῆς τῶνδε ἵππου ἐσβάλωσιν.*

Scribendum censeo: *ἄνευ τῆς τῶνδε ἵππου ὄντες ἐς βάλωσιν.*

X.

Herod. III, 72. *ὃς ἂν μέν νυν τῶν πυλουρῶν ἑκὼν παρίῃ, αὐτῷ οἱ ἄμεινον ἐς χρόνον ἔσται.*

Corrige *παριῇ.*

XI.

Homer. Odys. *ο*, 460.

χρύσεον ὅρμον ἔχων, μετὰ δ' ἠλέκτροισιν ἔερτο.

Voci *ἔερτο* digamma littera praefixa (*ϝεϝερτο*), scribi etiam oportet: *ϝόρμον.* Sed neutri vocabulo digamma tribuendum est.

XII.

a.

Hom. Od. ω, 161.

ἀλλ' ἔπεσίν τε κακοῖσιν ἐνίσσομεν ἠδὲ βολῇσιν.

Legendum *non* est: ἀλλὰ κακοῖς τε ϝέπεσσιν ἐνίσσομεν ἠδὲ βολῇσιν, quia digamma littera pronuntiari desita posteriores hiatum: τε ἔπεσσιν sustulissent scribendo: ἀλλὰ κακοῖς τ' ἐπέεσσιν.

b.

Il. N, 204.

ἧκε δέ μιν σφαιρηδὸν ἑλιξάμενος δι' ὁμίλου.

Huius versus genuina forma *non* est: σφαιρηδὸν δέ μιν ἧκε ϝελιξάμενος δι' ὁμίλου. Simpliciore enim modo posteriores hiatum: ἧκε ἑλιξάμενος explevissent legendo: ἧκεν ἑλιξάμενος.

c.

Od. ε. 298.

ὀχθήσας δ' ἄρα ϝεῖπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν.

Hic versus, ut digamma restituatur, ita transponi potest: ϝεῖπε δ' ἄρ' ὀχθήσας πρὸς ϝὸν μεγαλήτορα θυμόν. Sed nihil mutandum est.

d.

In carminibus Homericis multi loci ad hiatus tol-

lendos vel ad breves syllabas producendas digamma littera egent, permultis vero locis, ubi vocabula, quae hanc consonam olim habuisse e certis testimoniis constat, digamma litteram recusant, non nisi gravioribus quam par est mutationibus factis, restitui potest.

Quae res inde explicari videtur, quod lingua Homerica artificiosa fuit.

Ergo digamma carminibus Homericis non restituendum est, nisi ubi hiatum supplet vel neglectam productionem excusat. Si probatur posteriores digamma littera pronuntiari desita versum aliquem mutasse, ut hiatum tollerent syllabamve producerent, ibi quoque, dummodo levi mutatione, digamma recipiatur.

XIII.

Zonar. VIII, 4. Καὶ ὁ Πύῤῥος τὸν Κινέαν εἰς τὴν Ῥώμην ἀπέστειλε μετὰ χρυσίου πολλοῦ καὶ κόσμου γυναικείου παντοδαποῦ, ἵν' εἰ καί τινες τῶν ἀνδρῶν ἀντισχοῖεν, ἀλλ' αἱ γυναῖκες αὐτῶν, τοῖς κόσμοις ἀ ν α δ ε θ ε ῖ σ α ι, κἀκείνους συνδιαφθειροῖεν.

Lege: ἀναπεισθεῖσαι.

XIV.

Horat. Sat. II, 1, 54.

Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera (*mirum*,
Ut neque calce lupus quenquam, neque dente petit bos);
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

Legendum censeo: *nimirum*.

XV.

Horat. Sat. II. 7. 63.

In corruptorem vel iustior. Illa *tamen* se
Non habitu mutatve loco peccatve superne.

Melius videtur legere: *etenim*.

XVI.

Horat. Carm. III. 4, 30.

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Temptabo.

Scribendum censeo: *Desaevientem*.

XVII.

Virg. Aen. VI, 520.

Tum me, *confectum* curis somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus.

Lege: *defunctum* curis.

XVIII.

Tacit. Hist. I. 56. Unde plures erant, omnes *fuere*. Tacitus scripsisse videtur: *ruere*.

XIX.

Plin. Ep. II, 17, 28.

Mare... soleas tamen et squillas optimas *egerit*.

Legendum est: *suggerit*.

XX.

Plin. Ep. IV, 11, 3. Idem cum Graeco pallio amictus intrasset [carent enim togae iure quibus aqua et igni interdictum est], postquam se composuit cet.

Verba uncinis inclusa tanquam glossema eicienda sunt.

XXI.

Florus. IV, 6.

quasi *ignis* incendio Lepidus accessit.

Lege: quasi *lignum* incendio.

XXII.

Livius Epit. libri CXXIX. Victus deinde Sex. Pompeius *in Siciliam* profugit.

Lege: *ex Sicilia.*

XXIII.

Monum. Ancyr. (Mommsen, Res Gestae Divi Augusti p. LXXX.) c. 7 vers. 43. minus recte verba τριῶν ἀνδρῶν ἐγενόμην latine redduntur: trium virum fui. Restituendum est: triumvir fui.

XXIV.

Terecht wordt door F. de Saussure (Mémoire sur le syst. prim. des voyelles p. 16) op de verwantschap gewezen van *mollis* en βραδύς.

XXV.

Lāmentum is eerder af te leiden van den stam *clam*, (clamare) dan van een' stam *rap* (Vaniçek: Et. Wörterb.[2] p. 228.)

XXVI.

Lĭber (schors, boek) moet niet afgeleid worden van een' stam *lip* (Vaniçek: Et. Wörterb.[2] p. 250), maar hangt eerder samen met *glubere*.

XXVII.

Sēdĭtio is niet af te leiden van sed-ire, maar van sē en den indogerm. stam *dha*.

XXVIII.

Afleidingen in het woordenboek (1874) van Engelbregt als die van *aes*, *amo*, *corpus*, *germen*, *liquere*, *mollis*, *posco*, *putare*, *venter*, *vestigium*, e. a., zijn af te keuren, en moeten hoe eerder des te beter ter zijde gesteld worden.

SUMMARIUM.

ERRATA.

pag.	39	v.	18,	lege:	IIIviris.
»	58	»	17,	»	L. et M.
»	61	»	10,	»	parebat.

LOT
№ 24

SALE 170

IMPORTANT
NUMISMATIC
BOOKS

June 15, 2024

Kolbe & Fanning
Numismatic Booksellers
numislit.com

Tel: (614) 414-0855
Fax: (614) 414-0860

orders@numislit.com

141 W. Johnstown Road
Gahanna, OH 43230-2700